DISSERTAT
THEOLOGICO-PHIL
DE
ANATHE
QUO DEUS OB MESS
MANIFESTATI REJ
JUDÆORUM T
PERCUSSIT
MALACH. CAP. I
QUAM

S. SYNAXEOS USUI

a. d. Jovis XVIII. De

PRÆSIDE

RECTORE MAG

CONRADO I

SS. TH. D. ET P. P. O. AD ÆD. D S

PUBLICE DEFENDENDA

RESPONDE

ERNESTUS TILEMAN

BREMENSIS, SS. THEOL.

H. L. Q. S.

B R E M Æ

TYPIS VIDUÆ B. HERM. CHRIST. JANI,

GYMNASII TYPOGRAPHI, A.

TATIO
PHILOLOGICA
E
EMATE
MESSIÆ IN CARNE
REJECTIONEM
M TERRAM
USSIT;
CAP. IV. COM. 6.
IAM
USUI PRÆVIAM,
VIII. DECEMBR.
ESIDE
MAGNIFICO,
O IKENIO
D. D STEPH. PAST. PRIM.
DENDAM SUSCIPIET
NDENS,
EMAN D. SCHENCK,
THEOL. CULTOR.
Q. S.

E M Æ,
ST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
RAPHI. A. MDCCXLIX.

75

VIRIS
PERQUAM MAGNIFICIS, ILLUSTRIBUS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS,

DN. DIDERICO MEIER

JCTO PRÆCLARISSIMO, CONSULI SENIORI, PRO SALUTE REIPUB. PATRIÆ SUMMA CURA EXCUBANTI, ECCLESIARUM IN AGRO BREMENSI VISITATORI SOLERTISSIMO.

DN. HENRICO LAMPE

JCTO EXCELLENTISSIMO, CONSULI ET CUM MAXIME PRÆSIDI, DE UNIVERSA REPUB. PATRIA OPTIME MERITO, BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ INSPECTORI SUPREMO.

DN. CHRIST. SCHOENE

JCTO CONSUMMATISSIMO, CONSULI ÆTERNIS IN PATRIAM MERITIS INCLYTO, XENODOCHII D. REMBERTI PROVISORI VIGILANTISSIMO ATQUE INSPECTORI AD D. MICHAELIS SUPREMO.

DN. VOLCHARDO MINDEMAN

JCTO EMINENTISSIMO, CONSULI ITIDEM DIGNISSIMO, NEC NON JLL. SCHOLÆ CONSTITUENDÆ DUUMVIRO MERITISSIMO.

UT

UT ET

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO,

DOMINO

HENRICO GERHARDO SCHUMACHER

JCTO SUMMO, JUDICI HÆREDITARIO IN BORGFELD, PROFESSORI QUONDAM ILLUSTRIS LYCEI CELEBERRIMO, CUM MAXIME VERO SENATORI LONGE MERITISSIMO, REI MILITARIS PRÆFECTO PRUDENTISSIMO, ECCLESIARUM, QUÆ CHRISTO IN AGRO COLLIGUNTUR VISITATORI, NEC NON SCHOLARCHÆ VIGILANTISSIMO.

MÆCENATIBUS PATRONIS AC FAUTORIBUS MUNIFICENTISSIMIS

OB SINGULAREM IN LITTERAS BENEVOLENTIAM ATQUE FAVOREM, OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU AD CINERES USQUE DEVENERANDIS,

HANC DISSERTATIONEM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA ATQUE ANIMI SUBMISSIONE SACRAM FACIT

RESPONDENS.

DISSERTATIO
THEOLOGICO - PHILOLOGICA
DE
ANATHEMATE
QUO DEUS, OB MANIFESTATI IN CARNE MESSIÆ REJECTIONEM, JUDÆORUM TERRAM PERCUSSIT.

---

§. I.

Diriſſima & vel ipſo ſono tremenda interminatio eſt, quâ Deus MALACHIÆ vaticinium claudit, populúmque judaicum excitat, ad præcurſoris Meſſiæ præconium piè ſuſpiciendum, curámque, quâ daturus eſſet operam, ut corda parentum ad liberos & liberorum ad parentes reduceret, ritê agnoſcendam, dicens Cap. IV. com. 6. פן אבוא והכיתי את-הארץ חרם: *ne veniam & percutiam terram anathemate.* Sanè quicquid triſte ac calamitoſum in gentem aut regionem aliquam pronunciari, quicquid miſerum atque horrendum concipi poteſt,

aut quicquid Judæis eorúmque terræ ac Reipublicæ dirum ac perniciosum ad πανωλεθρίαν usque evenit, eosdémque in hunc diem premit, id omne brevi hoc effato continetur. Quod paulò propiùs, inprimis his diebus, quibus manifestationis promissi Messiæ annua recordatio, ab universâ Christiadum cohorte solemniter recolenda veniet, excutere, tantò magis operæ pretium duximus, quò magis non solùm tremendum hoc judicium à multis elevatur, sed & ejus propior adsertio, vaticiniorum æquè ac ipsius Christianæ religionis indubiam veritatem confirmat, & manifestatum in Jesu Nazareno verum Messiam piè venerari docet: tum verò universum argumentum pluribus Sacræ Scripturæ locis illustriorem lucem fœneratur.

§. II.

Deus licèt sit Spiritus omnipræsens, sæpius tamen *venire* dicitur, quando se singulari ratione & evidentibus præsentiæ signis manifestat, sive id fiat in gratiâ ad benefaciendum hominibus, sive in irâ ad judicia iisdem infligenda. Priori sensu legitur *Exod.* XX. 24. *In quocunque enim loco commemorari faciam nomen meum*, VENIAM *ad te, & benedicam tibi.* coll. *Hos.* VI. 3. & X. 12. Posteriori *Psalm.* L. 3. VENIET *Deus noster & non silebit. Ignis coram facie ejus comedet, & circa ipsum procellosum valdè erit.* & *Psalm.* XCVI. 13. *Coram Domino, nam* VENIT, *nam* VENIT *ad judicandum orbem in justitiâ*; cet. coll. XCVIII. 9. & *Jes.* III. 14. Imitantur phrasin hanc passim Scriptores exteri, quando non absimili ratione de ἐπιφανείαις Deorum suorum loquuntur. Sic *Jupiter* apud OVID. *Met.* Lib. I. v. 220.

Signa dedi VENISSE DEUM.

& VIRGIL. *Æneid.* Lib. VI. v. 258. *de Proserpina*,

ADVENTANTE DEA.

Quin & iidem hos adventus vel lætos faustósque faventium Numinum fingebant, vid. BROUKHUS. ad PRO-

PERT.

PERT. Lib. II. Eleg. XIV. v. 34. & conf. HORAT. Lib. I. Od. II. vel tremendos iratorum, qualem Apollinis ad vindictam à Danais sumendam graphicè describit HOMER. Jl. α. v. 44. seqq. Imò non improbabile est, quae de terrae motu aliisque prodigiis atque formidandis signis tales adventus comitantibus, passim Poëtae memorant, ex iis quae Scriptura de veri Dei descensu tradit, desumta esse, ut benè observat *Celeb.* DRAKENBORCH. ad SIL. ITAL. Lib. IV. v. 444.

Hîc loci autem apud Prophetam non alium quam tristem atque exitialem ad judicium exercendum intelligi, patet, quia statim additur, *& percutiam terram anathemate.*

§. III.

Vocis חרם *Cherem* radix aequè ac primaeva significatio apud hebraeos non amplius superest, sed foecundissima lingua Arabica eam nobis servavit, quam idcircò dudum rectè contulit *Summus Scripturae Interpres* COCCEJUS. Substitit tamen is in significatione *prohibendi, negandi*, sed quae ipsa non minus quàm multae aliae hujus thematis, secundaria est. Primaria & formalis potiùs est, *incidendi, praecidendi, resecandi*, quâ Arabum خرم *Charama* in hunc diem usurpatur, & cujus vestigia quoque hebraeum חרום *Charûm, mutilus, cui pars quaedam resecta, incisa, praecisa est* Lev. XXI. 18. exhibet, ut docuit sagacissimus felicissimusque Originum investigator, *Cel.* SCHULTENS in not. ad *Confess. Sext. Harir.* pag. 239. conf. & CLODIUS in *Lex. Select.* Ex generaliori hac primáque significatione plures particulares & secundariae natae sunt, ut *consecrandi* & *devovendi*, quo ipso aliquid *à communi usu quasi resecatur*, vid. quae uterque hanc in rem propius monuit: Hinc & *prohibendi* & *negandi* descendit, quia eo ipso omnis alicujus rei usus, communio cum illâ, aut etiam accessus ad eandem alteri praeciditur. Ut adeò חרם *Cherem*, *Sacrum*, *Sanctum*

quod

quod violare aut in communem usum convertere nefas est, innuat: unde *Gynecæum* magni Imperatoris Turcarum, non solùm, sed & ipsum *templum Meccanum* الحرام *Al-Charam* (vel uti Arabes id cum ح absque puncto, molliùs pronunciant *Al-Hharam*) dicitur, ut docet eruditiss. GAGNIER in not. ad ABULFEDÆ *Vit. Muhammed.* p. 37. conf. & HERBELOTTUS in voce HARAM. Imò & tota urbs Meccana cum universo territorio suo quaquaversum per aliquot milliaria nomine حرم الله חרם אלוה *sacri ac devotati Deo soli*, & حرم أمين חרם אומן *sacri septi securissimi* venire, monet modo laudatus SCHULTENSIUS in not. ad *Monum. Vetust. Arab.* p. 4.

Sic igitur vox חרם *Cherem* transfertur ad *votum*, quo aliquid Deo consecratur, aut ad res ipsas ex tali voto, aut alia quacunque ratione consecratas. Quale votum, aut ex voto consecratum, Judæi triplicis generis faciunt חרם לשמים או לבדק בית CHEREM *Deo vel reparationi templi dicatum*, & חרם לכהנים *consecratum Sacerdotibus*, quorum prius asserunt redimi potuisse, sed ita ut pretium ejus reparationi templi impendendum, posterius autem, sine venditione aut redemtione Sacerdotibus in peculium tradi debuisse ex Num. XVIII. 14. ut docuimus *Antiqq. Judd.* P. I. Cap. XVI. *com. ult.* vid. MAIMONID. in *Hilch. Erachim Vacharamim* cap. VI.

§. IV.

Non autem de consecratione & separatione in cultum Dei tantùm, sed & de eà usurpatur, quâ quid ad *interitum* aut *excidium* destinatur, sive id fiat à Deo ipso, sive ab hominibus. Breviter at satis nervosè significationem hanc cum priori conjungit *Summus* VITRINGA *Pater* in *Comment.* in *Jes.* cap. XI. 15. de verbo החרים scribens: Signi-„ficat vox *rem vel personam usu communi eximere*, quod fit,

vel

vel *consecrando*, vel per modum anathematis cum diris *de-*" *vovendo ad exterminium*; atque adeò *exscindere*, *destruere*," *exterminare cum maledictione*,,. Conf. idem ad cap. XLIII. com. 28. ubi eadem fusius prosequitur. Scilicet quicquid hac ratione devotum erat, si *vivum* & *animatum*, ut *homo* aut bestia, absque ullâ veniâ obtruncandum erat, si *res inanimata* ut *urbes*, *utensilia*, vasa, sine ullâ exemtione ultricibus flammis delenda, vel, pro re natâ, in thesaurum domini inferenda. vid. Lev. XXVII. 29. Deut. XIII. 15. seqq. & *Jos.* VI. 18, 19. Atque hinc jam חרם *cherem* tam *votum* de *exterminio* hoc conceptum, quàm *rem devotam*, & denique *excidium* ipsum seu voti exsecutionem, passim quoque in sacris non minùs, quàm Judæorum scriptis, denotat. Quæ significationes & in græcâ voce ἀνάθεμα locum habent, de cujus vario usu inprimis consuli merentur Scriptores *Clar.* WOLFIO laudati in *Cur. Crit.* ad *Rom.* XI. 3. ut de hebr. חרם *Cherem* SELDEN. *de Jur. Nat. & Gent.* Lib. IV. cap. VI. & *de Synedr.* Lib. I. cap. VII. Quemadmodum & verbum החרים *Hecherîm* tam de *talis voti nuncupatione*, quàm de ipsâ *devastatione* aut *plenariâ deletione*, sive ex istiusmodi voto, sive etiam absque illo factâ, usurpari solet. Ubi tamen in transitu non possumus non monere, frustra esse, qui cum *Cl.* CAPELLO inde extorquere satagunt, tale fuisse Jephtæ votum, illúmque adeò vi ejus propriam filiam immolasse, *Jos.* cap. XI. cùm neque apud historicum Sacrum ullum talis voti חרם indicium exstet, neque ulli mortalium in alterum, nedum Patri in filium aut filiam tantum jus competat, ut eum nullius culpæ reum morti devovere queat, ut rectè MAIMONID. loc. adducto §. 21. monet, neque tale votum sine summâ impietate nuncupari potuisset, vel, si id omninò imprudenter factum esset, servari debuisset, neque omnes rei gestæ περιστάσεις, aut verba quibus voti exsecutio describitur, talem explicationem admittant. Inprimis autem observandum istiusmodi votum propriè tales solùm spectasse, qui vel justissimo ipsius Dei judicio proscripti atque internecione digni, aut saltem gravissimo

reatu

reatu contracto, sibi id in pœnam attraxerant. vid. Num. XXI. 2. 3. Deut. XIII. 15. seqq.

§. V.

Ad nostrum itaque scopum sufficiat, vocem hîc quoque deteriore illo sensu, *de devotionis sententiâ Dei decretoria ad perditionem latâ* sumi, ut rectè *Cel.* VITRINGA loc. laudato monet. Patet id non solùm, quia ut gravissimum malum proponitur, quod Deus interminatur, sed & integrâ locutione הכה בחרם confirmatur. Verbum enim נכה hebræis æquè ac Arabibus نكا & نكى de *validissimâ percussione*, qualis in *gravioribus vulneribus* aut *plagis* locum habet, usurpatur, seu *ictus perscindentes omnia, quæque coaluerant, rescindentes* involvit, ut doctè inculcat ὁ ἀραβικώτατος SCHULTENSIUS *Comment.* in *Job.* cap. II. com. 7. & cap. XII. com. 5. unde Latinorum *ferire* & inprimis *icere* (quod MARTINIUS noster cum ipso hebræorum הכה *Hicca* & Chald. אכי *Acce* non malè confert) satis respondet. Utrumque enim illis quoque de *gravissimis plagis*, quin & de judiciis ab ipso Numine inflictis adhibebatur, ut in notissimâ formulâ, quâ Pater patratus fœdus, percusso silice porco, nomine populi Romani feriens exclamabat: *Si prior defexit publico consilio, dolo malo; tu illo die Jupiter Populum Rom. sic* FERITO, *ut ego hunc porcum hodie feriam: tantóque magis* FERITO, *quanto magis potes pollésque*, ut est apud LIV. Lib. I. cap. XXIV. Eadem ratione Jupiter quoque toties *ferire* aut *icere fulmine* Poëtis, ut notum est, dicitur. Imò sic ipsum verbum הכה *Hicca, percussit, icit*, cum החרים *Hecherîm exitio devovit*, aut *velut ex istiusmodi voto vastavit*, permutatur Jes. XI. 15. *Et* DEVOVEBIT *Dominus linguam maris Ægyptii, & agitabit manum suam super fluvio in robore Spiritûs sui, &* PERCUTIET (FERIET) *illum in septem alveos.*

Ut adeò gravissimum judicium atque πανολεθρίᾳ prægnantiùs significari non potuerit. Quod etiam omnes prisci

Inter-

Interpretes probè animadverterunt. Unde *Alexandrina versio* reddit καὶ πατάξω τὴν γῆν ἌΡΔΗΝ *& percutiam terram* PENITUS. Ita enim vox, ἄρδην Græcis uſurpatur, & in primis quoque de plenariâ devaſtatione adhibetur, ut apud DIODOR. SICUL. Lib. XIV. edit. præſtantiſſ. *Celeb.* WESSELINGII φάσκοντες δεινὸν εἶναι περιϊδεῖν ἀσυγείτονας Ἑλληνίδας πόλεις ἄρδην ἀνηρημένας ὑπὸ τοῦ Τυράννου· *Exiſtimantes indignum eſſe, vicinas urbes Græcas* FUNDITUS *à tyranno* EVERTI *ſinere.* Nec abludit *Paraphraſtes Chaldæus* ואמחנה גמירא *& percutiam illam penitus*, nec non *Arabs* واضرب الارض رديا *& percutiam terram atrociter.* Inprimis autem emphaticè admodum Syrus ܘܐܡܚܐ ܠܐܪܥܐ ܠܚܪܡܐ *& percutiam terram ad exitium* (perditionem.)

§. VI.

Objectum cui Deus hoc judicium interminatur, eſt ארץ *terra.* Licèt vox hæc generatim totum orbem habitabilem innuat, ſæpiſſimè tamen, ut notum, de peculiari quadam regione, & maximè de Canaane occurrit. Præeunt hac in re Scriptores Sacri, ut Ruth. I, 1. ויהי רעב בארץ *& erat fames in* TERRA, & Jer. IV. 20. כי שדדה כל ארץ *nam vaſtatur tota terra.* Nec mirum, cùm Scriptores in hac terra loquerentur & ſcriberent, & quidem ad populum in eadem degentem, aut peculiarem ad eandem relationem habentem, unde ex his omnibus ultrò patebat, quòd ad illam ſigillatim reſpicerent. Hinc Judæi quoque dicere ſolent: אין ארץ אלא ארץ ישראל *per terram abſolutè, & κατ' ἐξοχὴν ita dictam, non intelligitur niſi terra Iſraëlis* vid. MIDRASCH TEHILLIM f. 27, 1. & JOM TOBH *ad kidduſch.* cap. I. m. 9. Atque hîc ſanè non alia terra intelligi poteſt, quia Deus per Prophetam ad Judæos ſermonem dirigit, ſuppliciúmque illis pertimeſcendum denunciat. Uti

autem,

autem, nomine terræ, loca habitata ſimul cum incolis comprehendi ſolent, & integrarum regionum devaſtationes illis quoque fatales eſſe conſueverunt, ita & iſtiusmodi locutionibus hæc omnia ſimul haud raro comprehenduntur. Sic *Rabſake* denunciari jubebat Regi *Hiskiæ: Ecce tu audiviſti quid fecerint Reges Aſſyriæ omnibus terris*, להחרימם AD EXSCINDENDUM ILLAS, *& tu eripeveris? Jeſ.* XXXVII. 11. Unde denuò elucet, omnia dira quæ regioni aut genti evenire ad plenarium exterminium poſſunt, phraſi hac, *& percutiam terram anathemate* contineri, graviſſimúmque adeò excidium atque devaſtionem ipſius terræ, urbium atque locorum habitatorum deſtructionem, cum diriſſimo exitio incolarum ejus, prædici. De quâ emphaſi ut tantò magis conſtet, obſervandum, locutionem hanc longè plus dicere, quàm quòd Deus האדמה *terram* ארורה *maledictam* mox poſt lapſum Gen. III, 17. pronunciabat. Hoc enim tantùm inferebat, quòd ea ultrò non niſi ſpinas & tribulos prolatura, homóque ex eâ non ſine moleſtiâ in ſudore vultûs ſui panem quærere deberet, quod in hunc diem usque durat. Neque omnia quæ Deus de ipſo exſilio Babylonico interminatus eſt, cum diro hoc carmine comparari poſſunt. Teſtabatur quidem *ſe velle devaſtare terram, ut* (durante captivitate illâ) *nemo in eâ habitaret: ſe velle Hieroſolymam in acervum lapidum conſtituere, & urbes Judæ ſolitudinem in quâ nemo habitet* Jer. IX, 10. 11. 12. Minabatur quidem, *ſe velle Jacobum tradere* לחרם *anathemati & Iſraëlem conviciis, Jeſ.* XLIII. 28. Quod etiam factum, cùm peccatores hujus populi, ut divinitùs devoti miſerrimis modis trucidati ſunt. At nunquam toti terræ ſeu regioni cum incolis interminatus eſt, ſe eam anathemate percuſſurum. Imò ſi unicum illum Jeſaiæ locum excipias, quo tamen multi excidium alterum per Romanos ſimul involvi cenſent, nunquam vel ipſa vox חרם de excidio per Babylonios, adhibetur.

§. VII.

Nihil autem nobis clariùs omnem dirissimæ hujus interminationis gravissimique judicii rationem pandet, quàm si ad nexum vaticinii, ipsiúsque judicii causam attendamus. Ad nexum quod attinet, patet, describi hoc capite *diem* aliquem *magnum* atque *terribilem*, id est tempus aliquod gravissimi judicii eidem terræ & incolis ejus infligendi. Sic commate 1. *Nam ecce* VENIT DIES *ardens instar fornacis, erúntque omnes protervi, & quisquis facit iniquitatem, palea, & inflammabit eos venturos* ILLE DIES *ait Dominus exercituum, qui neque radicem, neque folium ipsis relinquet.* & com. 3. *Et conculcabitis improbos, ut sint instar cineris sub plantis pedum vestrorum,* ILLO DIE, *quem ego facio, ait Dominus exercituum.* Inprimis autem commate nostra verba immediatè præcedente quinto: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat* DIES ILLE *Domini* MAGNUS & TERRIBILIS. Cum igitur statim subjungatur: *Ipse reducet cor Parentum ad liberos & cor liberorum ad Parentes, ne veniam & percutiam terram anathemate,* luce meridianâ clariùs patet, hoc judicium non aliud esse, quàm quod antea sub nomine *tremendi illius diei* erat descriptum. Jam autem duplex judicium in Judæos inprimis phrasi hac in scriptis Prophetarum innui solet, primum exidii per Babylonios, cum destructione templi I., alterum per Romanos, cum illâ templi II. conjunctum. De priori agitur *Zephaniæ* I, 7. 14. *Amos* V, 20. *Jerem.* XXX, 7. & *Joël.* I, 15. quoniam omnes illi Prophetæ sub templo I. adhuc viventes, Diem hunc ut propinquum describunt. De posteriori *Joelis* II. com. 31. *Sol in tenebras convertetur & luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Ubi necessariò ad posteriorem respici debet, quoniam hic non solùm à priori illo distinguitur, & אחרי כן post illa omnia, quæ antea memorata erant, inter quæ & primum excidium numeratur, venturus dicitur, sed & clarissimè universali illi effusioni Spiritûs S., quæ ipsis Judæis fatentibus, non

nisi in diebus Messiæ exspectanda, subjungitur. Eodem sensu dies vindictæ memoratur *Jes.* LXI, 2. Quando igitur MALACHIAS quoque talem *magnum* & *tremendum diem* prædicit, patet non posse priorem intendi, quoniam MALACHIAS, ut ultimus Prophetarum Veteris Instrumenti, satis diu post solutam captivitatem Babylonicam & exstructum templum II. vaticinatus est, & de illo æquè ac cultu pristino, in eodem instaurato, nec non de donis eodem adducendis, clarissimè loquitur, cap. III, 1. coll. cum I, 7. seqq. II, 12. seqq. & III, 8.-10. conf. quæ præter *Clar.* TILLIUM, hanc in rem disputat *Celeb.* VITRINGA *Observ.* Lib. VI. cap. VII. Confirmatur id propiùs eo, quòd dies ille cum die adventûs Messiæ disertè conjungitur, cap. III. 2. *Quis autem sustinebit diem adventûs ejus (Domini* nempe *venientis ad templum suum) & quis consistet quando ipse manifestabitur? Erit enim ut ignis aurifabri & ut smegma fullonum. Et sedebit conflans & purificans argentum, & purgabit filios Levi & conflabit illos ut aurum & argentum.* cet. Cui egregiè concinit quod JESAIAS quoque diem hunc, ut *diem vindictæ Dei nostri à Messia proclamandum*, describit loco modo adducto *Jes.* LXI, 2. Atque hoc tam evidens est, ut qui inter Judæos, cum nonnullis Christianorum, inprimis Pontificiorum Interpretum, hìc de die ultimi judicii cogitant, vix refutationem mereantur. Præterquam enim quod nulla planè judicii ultimi hìc vestigia exstent, quid quæso simplicius magísque conveniens est, quàm quòd Propheta sub templo II. vivens, & adventum Messiæ ad hoc templum promittens, si cum eo conjungat tremendum aliquem judicii diem, de illo judicio loquatur, quod Deus stante illo templo immissurus, quo illud secundâ vice devastandum, quódque ob spretum à populo judaico Messiam illi infligendum? Aut quid minus probabile, quàm quòd spatium aliquot mille annorum transiliens, & post pauca Secula secuturum, actúque, (ut indubiâ nunc experientiâ constat,) inflictum gravissimum in hanc gentem judicium, penitùs intactum relinquens, de ultimo illo in fine mundi,

quod à Messiæ ad templum adventu longissimè distabat, nec cum eo nexum propriè habebat, & post aliquot mille annos demum eventurum erat, vaticinatus sit. Ne dicam, quòd cùm de Messiæ ad templum suum adventu loquatur, & cum eo diem hunc conjungat, sine dubio de illo templo intelligi debeat, quod tum exstabat, maximè cùm HAGGÆUS cap. II. com. 10. id satis clarè *ultimum* futurum, neque adeò post illud aliud iterum erigendum esse, innuat. Denique Judæis inprimis refellendis abundè sufficit, quod ex ipsorum sententiâ & antiquissimâ domûs Eliæ traditione, quam tanti faciunt, dies ultimi judicii minimùm bis mille annis à manifestatione Messiæ abesse debeat, *cùm bis mille annos* תהו *seu œconomiæ ante Legem, bis mille Legi, & totidem diebus Messiæ tribuant.* Pontificiis autem, quod optimi horum oraculorum Interpretes, CHRISTUS ipse & APOSTOLI, hunc diem cum munere præcursoris, disertè ad diem excidii secundi per Romanos, & manifestationem præcursoris Servatoris (quem ipsi nobiscum ut verum Messiam venerantur) restringant. vid. illustre testimonium Petri *Act.* cap. II. com. 10. coll. Hebr. X. 25. ut & Jes. LXI, 1. 2. cum Luc. IV. 18-21. nec non quæ statim de hoc præcursore sigillatiùs dicentur.

§. VIII.

Inprimis idem ex causâ judicii hujus indubium est. Patet hæc ex nexu vaticinii & restrictione ipsâ interminationis. Pollicitus erat Deus per Prophetam adventum, *Domini venturi ad templum suum* cap. III. 1. quæ verba tam clarè de Domino illo s. Messia cujus adventum Patres omni tempore tam intenso desiderio anhelaverant, agunt, ut ipsi Judæi ea in hunc sensum interpretentur, vid. quæ hanc in rem attulerunt FRISCHMUTHUS in Diss. de *Angelo Fœd.* in *Thes.* Theol. Phil. T. I. p. 1058. TILLIUS ad h. l. & *Clar.* SCHOETGENIUS *Hor. Hebr. & Talm. in Theol. Jud. Dogm.* pag. 225. Prædixerat idem simul, ut visum, ju-

 dicium

dicium ab ipſo exercendum, ita ut *nemo impiorum diem adventûs ejus ſuſtinere poſſet*, dum ipſe futurus eſſet *inſtar ignis aurificis & ſmegmatis fullonum*, cet. com. 2. & 3. Quem diem cum tremendis his effectibus porrò delineat cap. IV. com. 1. ita tamen ut ſimul ſubjungat, ſequelas ejusdem adventûs piis maximè ſalutares fore, dum cap. IV. com. 2. pollicetur illis, *qui nomen Dei timent*, *eundem oriturum ut Solem juſtitiæ ſub cujus alis futura ſanatio*, cet. in quibus verbis ipſi iterum Judæi Meſſiam agnoſcunt vid. SCHOETGEN. loc. add.

His omnibus ſubjungit Deus, *ſe antequam dies ille magnus & tremendus veniat miſſurum Prophetam Eliam, qui reducat cor parentum ad liberos & cor liberorum ad parentes* com. 5. & 6. Hinc igitur manifeſtum eſt, promiſſum hunc Eliam unà cum Meſſia manifeſtando appariturum ante diem illum magnum & terribilem. Quod iterum tam clarum eſt, ut Judæi omnes id ſemper agnoverint unóque ore fateantur. Unde R. JSAAC in *Chiſſuk Emuna* Part. I. cap. XXXIX. apud WAGENSEIL. in Tel. Ign. Tom. II. p. 318. ait: לפי שהיה דבר ידוע באומות ישראל שלא יגלה המשיח אלא אחר בא אליהו הנביא כמבואר מהפסוק הזה. *Quoniam res nota erat in nationibus Jſraëlis* (τοῖς λαοῖς Ἰσραὴλ A&. IV. 27.) *quòd non manifeſtabitur Meſſias, niſi donec venerit Elias Propheta, ut notum eſt ex hoc* (Malachiæ) *loco*: cum quo teſtimonio rectè confert ipſe *eruditiſſimus* WAGENSEILIUS Tom. I. p. 540. verba TRYPHONIS Judæi in Dialogo cum Juſtino p. 268. Πάντες ἡμεῖς τὸν Χριϛὸν ἄνθρωπον προσδοκῶμεν γενήσεσθαι, καὶ τὸν Ἠλίαν χρίσαι αὐτὸν ἐλθόντα. *Omnes nos Chriſtum* (Meſſiam) *hominem naſciturum exſpectamus, & Eliam, venturum ut eum ungat.* conf. & plura hanc in rem Rabbinorum teſtimonia apud FRISCHMUTH. in diſſert. *de Eliæ adventu* Theſaur. p. 1072. EISENMENGER. in *Judaiſm. R.* Lib. II. Cap. XIII. & Schötgen. loc. add. Quamvis in eo tamen plerique errent, quòd ipſum illum Eliam, qui quondam inter Jſraëlitas verſatus,

ſatus, & vivus in cœlum translatus eſt, venturum cenſeant, quare & cùm exiſtiment id in tonitru futurum, eo orto, apertâ feneſtrâ ipſi ſedem collocare conſueverunt, quod, quoniam eum circumciſioni ordonariò intereſſe credunt, quoties infans circumciditur, non minùs facere ſolent v. BUXTORF. *Synag. Jud.* c. IV. conf. *Jalkut Schimóni* P. I. f. 243. 3. & P. II. f. 4. 1. Interim in eo tamen illos errare dico, quod Eliam ipſum denuò adventurum exiſtiment. Id enim primùm ex ſolo nomine colligere minimè licet, cùm nihil notius ſit, quàm quòd ſæpiſſimè ob convenientiam, quæ uni rei aut perſonæ cum alterâ intercedit, poſterior prioris nomine appelletur. Sic in Sacris *Meſſias* dicitur *David*, corruptus populus judaicus, *populus Sodomæ*, & principes ejus *principes Gomorrhæ*, idque ipſis Judæis fatentibus, qui eandem quoque ob cauſam, licèt immeritò, *Chriſtianos filios Edomi*, & *poſteros Eſavi* nominant vid. quæ hanc in rem adduxit FRISCHMUTH. *Diſſ.* laudatâ *de Eliæ advent.* & SCHOETGENIUS *Hor. Hebr.* & *Talmud.* in *Theol. Jud. Dogm.* Lib. I. Cap. I. Claſſ. I. & II. & Lib. II. p. 201. & 208. Subjungit FRISCHMUTH. nec exteris Scriptoribus id inſolitum eſſe, ex notiſſimo VIRGILII loco *Eclog.* IV. 39.

Alter erit tum Typhis & altera, quæ vehat Argo,
Delectos Heroas, erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Eodem refert *S. Rever.* KIDDERUS loco mox adducendo ejusdem Poëtæ verba Æneid. VI. v. 89. Nos addimus tantùm, quòd, uti talis nominis proprii uſurpatio pro communi apud profanos Scriptores uſitatiſſima, ut quando HOMERUS aut MARO pro *optimo Poëta* illis ſimili, MÆCENAS pro *benefico* in Doctos, CATO pro *homine ſevero* ponitur, eademque omnis præcipuè Theologiæ emblematicæ atque typicæ fundamentum eſt, ita inprimis Judæis tantò minùs mira videri debeat, quò magis ipſi ſive ex ſententiâ de metempſychoſi,

 (ut

(ut multi rem explicant) ſive ut alii, ob convenientiam, quæ inter utrosque intercedit, *Eliam* diſertè dicant fuiſſe *Phineaſum*. Sic in JALKUT CHADASCH pag. 24. 2. ex ASARA MAAMAROTH hæc adducuntur verba:

הא דאמרו רז״ל פנחס הוא אליהו אין הדבר כפשוטו שפנחס לא מת ושקיים בעצמו שנוי השם להקראות אליהו דהא אליהו היה מבני בנידה של רחל ולא היה כהן אלא שנתכהן בהר הכרמל לכן קאמר בגמרא ב״מ דף קי״ד ולא כהן הוא וכו׳ אלא שפנחס בא לתקן נדב ואביהו וכן אליהו מה שחזר לתקן השלים זה וכו׳

Hoc eſt quod dixerunt Rabbini B. M. Pinchas eſt Elias. Non eſt res ſecundùm litteram intelligenda, quaſi Pinchas mortuus non eſſet, & ipſe adhuc exſiſteret, mutatione tantùm nominis factâ, ita ut appellatus ſit Elias. Elias enim fuit ex poſteris Rachelis, & non fuit Sacerdos, ſed Sacerdotio tantùm functus eſt in monte Carmelo (unde & in Codice Talmudico Bava Metzia f. 114. dicitur, & non fuit Sacerdos) ſed quia Pinchas venit, ut in ordinem redigeret Nadab & Abihu, ita etiam Elias, quod ille reliquit in ordinem redigendum, id ipſe perfecit, cet. ubi & plures convenientiæ inter Phineaſum & Eliam ſubjunguntur. Quòd ſi ex his omnibus meritò, colligatur poſſe aliquem Eliæ ſimilem non incommodè eodem nomine inſigniri, haud difficile erit evincere, longè probabilius eſſe, talem aliquem hîc loci à Malachiâ, quàm propriè dictum Eliam, intelligi. Hactenus enim nullo indicio conſtat, illos qui ſemel in gloriam ſuſcepti ſunt, inde ad ordinaria munera inter mortales obeunda longiúsque commercium cum illis colendum, unquam in terram reverſos eſſe. Unde etiam mirum non eſt, inter ipſos Judæos non defuiſſe, qui hîc de Propheta Eliæ ſimili cogitarent. Provocat eum in finem *Cl.* FRISCHMUTHUS ad ABARBANELEM, at minus tamen feliciter, quia is Chriſtianorum tantùm ſententiam adducit eandémque ſimul improbat. Sed *Cel.* POKOCKIUS in *not. Miſcellan. ad Port. Moſ.*

p. 219. rectiùs adducit verba R. Tanchum, qui in Comment. in Malachiam, disertè testatur *alios Doctorum suorum*, & inter illos inprimis MAIMONID. censere, *Prophetam aliquem fore parilis cum Elia gradûs eodémque loco constitutum, quoad cognitionem Dei & nominis ejus promulgationem ideóque Eliam adpellari.* His tandem omnibus insuper addi potest, quòd, cùm ex iis quæ com. præcedente allata sunt, pateat, Prophetam loqui de excidio Judæorum per Romanos, hócque cum ipsius templi II. destructione evenerit, atque adeò, ni vaticinium hoc irritum evasisse dicere velimus, hic Malachiæ *Elias* necessariò jam antea advenire debuerit, cúmque Judæi id de Elia propriè dicto docere nequeant, nihil reliquum maneat, quàm quòd verba de aliquo illi simili accipiantur: imò cùm ne talem quidem Judæi ostendere queant, omnes autem characteres exactè in JOHANNEM BAPTISTAM quadrent, quem Evangelium nobis in hac relatione commendat, & de quo ipse JOSEPHUS Scriptor Judæus, multa magnifica, & cum descriptione à Malachia exhibitâ non parùm, ut mox videbimus, convenientia prædicat *Antiqq.* Lib. XVIII. Cap. V. rectè colligimus eum & non alium, hunc promissum *Eliam* esse. Ceterùm uti mirum non est, ipsos Muhammedanos, qui non pauca à Judæis mutuati sunt, veterem quoque Eliam ante ultimum judicium exspectare, de quorum sententiâ videri potest HERBELOTTUS in *Lex. Orient.* voc. *Ilia*, ita id vix nonnullis Christianorum, & inprimis plerisque Scriptoribus Pontificiis condonandum est, quos certè Servator ipse, æquè ac angelus conceptionis Johannis nuncius, melioris erudire debuisset. Matth. XI. 14. XVII. 12. Marc. IX. 11, 12. & Luc. I. 17. Quemadmodum inde quoque convicti esse deberent, diem judicii, ante quem Elias hic venturus, non mundi peremtorium, sed excidii, ut com. præced. monuimus, per Romanos esse. Conf. de his KIDDERI *Demonstratio Messiæ* P. II. Cap. XVI. Interim ex dictis quoque facilè patet, immeritò R. ISAACUM in *Chissuk Emunah* apud WAGENSEIL. *Tel. Ign.* P. II.

p. 432.

p. 432. maligno dente arrodere, quòd cùm JOHANNES BAPTISTA à Judæis interrogatus: *Num tu es Elias?* respondenderit *non ſum ego Elias:* Servator tamen contrarium adfirmaverit, Matth. XI. com. 13. *Omnes Prophetæ & Lex prophetarunt usque ad Johannem. Et, ſi vultis hoc recipere, ipſe eſt Elias qui venturus erat.* Nam uti Servator minimè dicere voluit, eſſe eum verum Eliam, qui quondam inter Judæos vixerat, ſed potiùs illum qui ſub *Eliæ nomine* (ob convenientiam cum illo) ut *venturus* promiſſus erat; quemadmodum ipſe mentem explicat, *Matth.* XVII. 12. *Nam Elias pridem venit, & non agnoverunt eum, ſed prout libitum erat tractârunt,* & à diſcipulis quoque ex his verbis intellectum eſt, unde ſtatim additur, *intellexerunt ipſum de Johanne loqui:* ita *Johannes* ipſe, ex illorum ſententiâ, qui propriè dictum Eliam denuò exſpectabant, rectè reſpondit negando, *ſe eum non eſſe,* at ſimul abundè oſtendit, ſe ut alterum Eliam veniſſe, dum verbis ex *Jeſ.* XL. 6. deſumtis pergit: *Ego ſum vox clamantis in deſerto parate viam Domino* cet. Hoc ipſo innuens ſe quidem non eſſe propriè dictum Eliam, ſed eum tamen qui in Spiritu Eliæ Meſſiæ præcurſurus eſſet, quemadmodum, ut vox videbimus, ipſi Judæorum Interpretes ad illa Jeſaiæ verba eò adplicanda, nobis facem præferunt.

§. IX.

Unicum antequam ab hoc argumento penitus diſcedam adhuc ſubjungendum, Doctorúmque judicio ſubjiciendum habeo, ut tantò clariùs pateat, Eliæ adpellationem in Johannem optimè quadrare. Scilicet ſtudioſè hactenus in derivationem & genuinam ſignificationem nominis hebræi אֵלִיָּה *Elijjah* vel אֵלִיָּהוּ *Elijjahu* inquiſitum eſt. Compoſitum illud eſſe, & poſteriorem quidem ſyllabam *jah* vel *jahu* Dei nomen, ab omnibus meritò pro indubio habetur, cùm ejus rei innumera in ſacro codice exempla occur-

occurrant. Sed de priori nominis parte nondum ſatis certò conſtat. Vulgò eam volunt eſſe vocem אֵיל aut אֵל *facultatem*, *robur*, atque adeò nomen אֵלִיָּה Elijjah reddunt *robur Domini*. Verùm in hac interpretatione id inter alia difficultatis adhuc ſupereſt, quòd ex geminatione literæ jod pateat, etiam priorem vocem אל *jod* in fine habere debuiſſe, quæ in איל aut אל non invenitur. Hinc igitur exiſtimem rectiùs deduci à voce אלי & quidem ultima י mobili, quæ in linguà quidem hebræâ non ſupereſt, ſed quam vicina arabica ſervavit. Denotat autem אלי الي *Eli beneficentiam*, *gratiam*, & quia in fine, *jod mobile eſt*, hinc accedente alio *jod* in voce יה *jah* vel יהו *jahu* id rectè & regulariter ſequenti per dageſch forte inſcribitur. Atque ita אליהו ſignificaret *gratiam* ſeu *beneficentiam Dei*, idémque adeò diceret cum יהוחנן ſeu Ἰωάννης, ſcil. talem *in quem Deus gratiam contulit*, aut potiùs, *quem Deus gratioſè conceſſit*. Hac ratione etiam conveniret cum אליאל *Eliel* quod vulgò explicant *Deus eſt Deus*, verùm minùs quoque, ut exiſtimo, convenienter, quia talia effata non ſolùm ad nomina hominum propria minùs quadrant, ſed inprimis in iis non ſolet idem nomen repeti, quod manifeſtam tautologiam inferret, ſed aliud potiùs, quo pateat, illum qui priori appellatur, verè talem eſſe qualis poſteriori nomine ſignificatur. Sic 1 Reg. XVIII. 39. exclamant Iſraëlitæ יהוה הוא האלהים יהוה הוא האלהים *Jehova eſt Deus*, *Jehova eſt Deus!* Non dicunt *Elohim eſt Elohim*, hæc enim inepta & nullum ſenſum fundens tautologia foret, ſed *Jehova eſt Elohim* i. e. *ille Deus noſter*, qui diſtinctè à Diis gentium & inprimis à Baale, quem cultores ejus fruſtra invocaverant, *Jehova dicitur*, is *eſt verus Deus*. Confirmari hæc explicatio nominis *Eliæ* videtur, ratione ab Angelo datâ, quare ὁ βαπτιςὴς *Johannes* appellari deberet. Hæc enim inter alia eſt, quòd *ipſe ante Dominum præceſſurus eſſet in Spiritu & potentiâ Eliæ*, Luc. I. 16. Non autem

video,

video, quodnam pondus ea habeat, nisi significatio nominum conveniat, sed eo admisso ratio est manifestissima, quia utriusque nomen idem dicebat, idémque adeò hîc locum obtinebat, cujus plurima in sacris exempla habemus, ut nomina idem significantia inter se permutentur.

§. X.

Munus hujus Eliæ futurum dicitur, *ut convertat cor parentum ad liberos & liberorum ad parentes.* Non suscipimus hîc examen diversarum interpretationum, quibus Judæorum magistri sensum verborum horum vel pervertunt, vel saltem elevant, dum nonnulli ea *de manifestatione quo quisque genere prognatus sit, ab Elia Spir. S. adflatu faciendâ*, alii *de solutione dubiorum Legis, aut mundatione spuriorum*, alii, de *conversione Patrum æquè ac liberorum* tum temporis viventium, aut *conciliatione sententiarum Parentum & liberorum circa judicia & statuta*, vel *Doctorum & Discipulorum*, ita ut in posterum idem sentirent, nec dissidium aliquod inter eos reliquum futurum esset, accipiunt. Talia enim, & constructioni verborum & scopo Malachiæ non convenire dudum FRISCHMUTHUS evicit. Addo etiam pleraque non ejus momenti esse, ut idcircò tam extraordinario legato opus fuisset: tum verò inprimis omnia non satis scopo illi convenire, ad quem (ut mox videbimus) Elias hic propriè mittendus erat. Quod & contra sententiam *Cel.* LUDOV. DE DIEU valet, qui verba ad quinti præcepti observationem restringit, contra quem rectè quoque monuit FRISCHMUTHUS *vocabula hac ratione nimium coarctari.*

Ut igitur tantùm, quòd res est, suaque se simplicitate ultrò commendat, dicamus; observandum, quòd quando de integro populo judaico sermo est, *parentum* nomine soleant ejus *majores*, *liberorum* autem appellatione *posteri* intelligi. Quo sensu Ez. XVIII. 2. *Patres comederunt omphacem & liberorum dentes* obstupefacti sunt, conf. Ps. XXII. 5. &

pas-

passim, neque aliter ipse Propheta noster cap. III. 6 & 7. *Idcircò vos FILII Jacobi consumti non estis. A diebus PATRUM vestrorum recessistis à præceptis meis*, cet. Cùm autem cor in Sacris frequentissimum emblema sit, tam cogitationum, opinionum & sententiarum quàm desideriorum, atque studiorum, & dum cor Parentum ad Liberos & Liberorum ad Parentes reducendum dicitur, hæc corda supponantur à se invicem abalienata atque aversa fuisse, hinc necessariò hîc cogitandum est, de piis illis majoribus à quibus hi posteri penitus degeneraverant, ita ut diversissimas ab illis sententias soverent, diversissima quærerent contrariisque planè studiis dediti essent: Talis inprimis Pater erat ABRAHAMUS, quo & ipsi Judæi maximè gloriabantur *Joh.* VIII. 39. & in hunc diem gloriantur, v. LIGTFOOTH. in *Hor. Hebr.* in *Joh.* & *Cel. LAMPIUS* in *Comm.* Tales cùm ABRAHAMO, JSAACUS & JACOBUS. Ad quos tres κατ' ἐξοχὴν sæpe respici solet: ut *Exod.* III. 13. *Et dixit Moses ad Deum. Ecce cùm venero ad filios Israëlis & dixero ipsis Deus PATRUM VESTRORUM misit me ad vos: & ipsi dicent mihi, quodnam est nomen ejus, quid dicam illis?* & com. 15. *Et dixit porrò Deus ad Mosen, ita dices filiis Israël, Jehova Deus PATRUM VESTRORUM, DEUS ABRAHAMI, DEUS JSAACI ET DEUS JACOBI misit me ad vos.* coll. *Deut.* IV. 31. Et sanè non levis prærogativa erat hos habere Patres, cùm eo ipso iis occasio præberetur ad communionem fœderis cum illis eorumque posteris erecti, omniumque bonorum inde profluentium, & benedictionum atque promissionum illis eorumque semini addictarum *Act.* II. 39. Unde & non immeritò Paulus inter Judæorum prærogativas numerat, quòd *ipsorum essent Patres*, Rom. IX. 5. Interim tamen & alii his similes pii majores simul includi possunt.

§. XI.

Ut autem tantò clariùs hæc abalienatio cordis posterorum

rum

rum à majoribus pateat, ea prius excutienda erunt, quæ in his laudabilia Scriptura Sacra memorat. Sunt hæc primò *fides*, quam disertè in Abrahamo extollit *Gen.* XV. 6. *Abraham* CREDIDIT *Domino & hoc imputatum est ei in justitiam.* coll. *Rom.* IV. 3. & *Jac.* II. 23. Quæ fides inprimis mundi Salvatorem seu Messiam pro objecto habuit, qui ut *Semen Mulieris*, seu ex Mulieris posteris aliquando proditurus, dudum promissus atque exspectatus erat, quemque Deus propiùs jam Abrahamo, ut *ejus semen*, i. e. ex ejus posteris aliquando oriturum omnibusque gentibus benedictionis fontem exstiturum, pollicitus erat. *In* SEMINE TUO *benedicentur omnes gentes. Gen.* XXII. 18. Hinc & Servator de Abrahamo testatur, *Joh.* VIII. 56. *Abrahamus Pater vester exsultavit, quòd visurus esset diem meum.* Ejusdem fidei signa edidit JACOBUS, dum moribundus exclamavit. SALUTEM TUAM EXSPECTO *Domine Gen.* XLIX. 18. Quem locum, ex veteri doctrinâ Judæorum, tam luculenti commentario, ut notum est, CHALDÆI INTERPRETES illustrant, ut id non meliùs aut efficaciùs ab ullo Christianorum fieri queat. Dum docent Jacobum dixisse, *se non exspectare, liberationem Gideonis, nec Simsonis, quæ sint liberationes horæ, sed liberationem Messiæ, filii Davidis, quæ sit liberatio æterna.* v. S. R. PATRICK ad h. l. & WAGENS. *Sot.* p. 179. In hac fide MOSES contumeliam Christi majores divitias *reputabat, quàm thesauros Ægypti Heb.* XI, 26. Ejusdem documenta dabant alii pii majores, ut *Psalm.* XIV, 7. & LIII, 7. *Quis dabit ex Zione* SALUTEM *ISRAËLIS: dum vertet Dominus captivitatem populi sui, exsultabit Jacob lætabitur Israël!* In hac fide pios confirmare quærebat HABAKUKUS II, 3. *Et si tardet, præstolare illum, nam certò veniet, nec moras nectet.* Tum verò ex eadem simul *justitiam* & *vitam* pollicebatur, com. 4. *Justus ex fide vivet.* Inprimis autem præeuntibus Prophetis non exspectabant, nisi Messiam pauperem, παθητὸν, qui *perpessionibus* pro populo suo sustinendis, illi *remissionem peccatorum & justitiam adducturus esset. v. Zach.* IX, 9. *Jes.* LIII. *Dan.* IX, 29. Quæ loca in

hunc

hunc sensum non minùs à Vett. Judæis, ac nunc à nobis Christianis, accepta esse, ex clarissimis testimoniis magnâ copiâ jam à Viris doctis adductis, indubium est v. *L'Empereur* præfat. ad *Halichot Olam* & quæ passim *Raymund. Martin.* ALTING in *Schilo*, FRISCHMUTH. SCHOETGENIUS Libro sæpius laudato, Lib. VI. cap. III. nec non ad illa loca sigillatim, attulerunt. Quibus addi inprimis meretur locus planè insignis quem ex libro *Afkat Rochel* f. 10. 1. exhibet CLAR. MEIERUS. *Diss. de SS. Trin. Myst.* cap. II. §. 84. Ubi ex libro Pesikta dicitur, *Deum*, cùm vellet *mundum creare, eduxisse sub throno gloriæ animam Messiæ atque interrogasse, num vellet sanare & vindicare filios suos post sex mille annos, cúmque annueret, denuò interrogasse an ergo sustinebis castigationes ad delendas iniquitates eorum? juxta illud quod scriptum* (Jes. 53. 4.) *Vere morbos nostros ipse tulit: & respondisse iterum, cùm gaudio eas sustinebo.* Quæ pro more populorum hyperbolicè prolata, nil aliud innuunt quàm, quod nos *consilium pacis* inter Patrem & filium adpellare solemus. Atque hinc & fideles in ejus communione *justitiæ participes reddendos*, uti Jer. XXIII, 6. prædixit, Hoc est nomen ejus quo appellabitur *Jehova* JUSTITIA NOSTRA, ita & Judæi quondam agnoverunt, qui & hunc locum disertè de ipso interpretati sunt, ut docet RAYM. MARTIN. ALTING. Proleg. in *Jerem.* LE MOYNE Diss. ad h. l. nec non FRISCHMUTH. *Thes. Th. Phil.* Addo quod idcirco quoque R. SAADIAS GAON ad Dan. VII, 13. non solùm dicat והוי משיח צדקנו *Hic est Messias* JUSTITIA NOSTRA, sed & in *itinerario MsC. R. SAMUELIS BEN JEMSEL per terram Sanctam*, quod aliàs jam laudavi, is non minus exclamet: *Laus sit Deo, cujus nomen sit benedictum, quod deduxit nos in pace - - ut videremus sepulchra Sanctorum Patrum nostrorum ita nos quoque dignos reddat, videre* MESSIAM JUSTITIAM NOSTRAM! Alterum quod in illis laudatur *pietas* est, quam sincero *in Deum timore*, in *proximum charitate, mundi contemtu & patientiâ in adversis*, inque his omnibus fidem vivam, luculentissimè demonstratam dabant.

Abrahamo ipse Deus testimonium perhibebat *Gen.* XVIII, 19. *Novi enim quòd præcepturus sit liberis suis & domui suæ post se, ut servent viam Domini ad faciendum justitiam & judicium.* *Charitas* ejus in hospitalitate patebat *Gen.* XVIII, 1. seqq. coll. Heb. XIII, 2. quam ipsi Judæi ad invidiam usque extollere solent. Non minùs pietas hæc in ejus nepotibus celebratur Gen. XXV, 27. & XXXI, 42. 58. De *contemtu mundi* & *patientiâ* in adversis, tam horum omnium, quàm aliorum illustrium fidei heroum testantur admiranda illa specimina, quæ ex Veteris Instrumenti tabulis deprompta, integro catalogo exhibet Paulus Heb. XI. Quotquot igitur eodem modo adfecti erant, horum cor meritò ut unum cum ipsorum corde considerabatur híque soli tantorum haud indigni Avorum erant. Uti enim *non omnes qui semen Abrahami sunt, etiam filii sunt.* Rom. IX, 7. ita contra qui *ejusdem fidei sunt*, & *in vestigiis fidei Abrahami incedunt*, *benedictionis cum eo evadunt participes*, *cum eodem justificantur*, & pro *genuinis ejus liberis* reputantur. *Gal.* III, 9. coll. *Rom.* IV, 12 seqq. Quæ veteris Ecclesiæ judaicæ Doctrinæ convenire, ex iis quæ præeunte GENEBRARDO & RAYMUNDO MARTINI *Cel*, LAMPIUS ad *Joh.* VIII, 39. nec non *Clar.* SCHOTGENIUS H. H. in Epist. *Roman.* l. add. adfert, elucescit, conf. Ps. XXIV, 6.

§. XII.

Atque hinc in proclivi est colligere, Judæos sub templo II. & inprimis proximè ante ejus destructionem per Romanos ab his piis majoribus penitus degenerasse. Exspectabant quidem adhuc Messiam, verùm non qualem Patres anhelaverant, & Prophetæ ubique descripserant, sed potiùs ut *regem terrenum*, qui mundanum regnum erigeret, omnes gentes illis subjiceret, eósque externis bonis cumularet, ut non solùm ex scriptis Novi Foederis patet, sed & ex eadem corruptâ doctrinâ, quæ in hunc diem inter ipsos viget, imò cùm hæc viderent non convenire illis, quæ Prophetæ

phetæ de perpessionibus Messiæ tradiderunt, eò delapsi sunt, ut sibi *geminum Messiam*, alterum παθητὸν *filium Ephraimi*, alterum gloriosum *filium Davidis*, contra omnem priscorum oraculorum fidem comminiscerentur. Cum fidei depravatione etiam pietatem omnem amoremque proximi ejuraverant, & hypocrisi dediti mutúisque inter se odiis flagrantes, omnibus sceleribus semet tradiderant. Quod ubique illis non solùm Servator exprobrat, indéque deducit, quòd semet frustra *Abrahami filios*, jactarent, cùm si Abrahami filii essent, Abrahami *quoque opera facere deberent*, talia autem, quæ ipsi faciebant, *Abrahamus non fecerit. Joh.* VIII. 39. Sed & inprimis JOSEPHUS, extra partes positus, imò ipsemet Judæus idem testatur de B. *Iud.* Lib. V. cap. XIII. *Nequaquam verebor coram dicere quæ dolor jubet. Equidem arbitror, si Romani sceleratis istis exitium inferre cessassent, futurum fuisse ut urbs aut terræ hiatu absorberetur, aut eluvione deleretur, aut soli Sodomitici fulmina experiretur: multò enim magis impiam progeniem edidit, quàm erant, qui hæc perpessi sunt.* Imò eadem ratione eos ut gravissimorum scelerum reos Propheta noster depinxit cap. III. comm. 5. seqq. Hinc igitur neque ipsi idem cum Patribus sentiebant, neque illi cum ipsis, imò Patres si superessent eos pro filiis reputare nollent, sed cùm viderent tam degeneres posteros *pudefieri* potius debuissent: & *facies illorum pallore suffundi.* vid. *Jes.* XXIX. 22. atque ibi VITR. Ex quibus omnibus jam patet, non solùm quantopere cor Parentum à Liberis & Liberorum à Parentibus abalienatum fuerit, sed & in quo *reductio* hæc cordis Patrum *ad* liberos & liberorum *ad* Patres consistat. Ita enim verba rectè & simplicissimè reddi, patet non solùm quia על sæpe pro אל s. *ad* usurpatur, v. *Ps.* XXVII. 2. *Jes.* XIV. 1. *Jer.* III. 18. Sed & integra phrasis שוב על eodem modo ut שוב אל pro *reverti ad aliquem*, vel *ad aliquid*, adhibetur v. *Jer.* XI. 10. & *Prov.* XXVI. 11. coll. *Jer.* XLVI. 16. & *Zach.* VIII. 8. Scilicet nihil aliud id innuit, quàm in eandem illos sententiam cum

majo-

majoribus, & ad eosdem mores eandémque vitæ rationem perducere, ut nempe eodem modo ac Patres in Messiam adfecti, illum advenientem in fide reciperent, háncque fidem, à sceleribus ad meliorem frugem revertendo, Majorúmque pietatem imitando vivam demonstrarent, sicque *tantorum non indigni Majorum* evaderent, hique eos pro suis agnoscere possent. Ita luculenter verba explicat & JOHANNI BAPTISTÆ adplicat ANGELUS *Luc.* I, 16. *Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et præibit ante faciem ejus in spiritu & potentiâ Eliæ ad convertendum corda Patrum ad liberos & inobedientes in prudentiâ justorum, ad adornandum Domino populum præparatum.* Cui concinit ZACHARIAS ib. com. 76. seqq. *Et tu, infans, vocaberis Propheta altissimi. Præibis enim ante faciem Domini, ut ipsius vias præpares, Ad dandum cognitionem salutis* (cujus Messias auctor futurus Luc. II, 30.) *populo suo in remissione peccatorum.* In quibus tantùm observandum, utrumque magis ad rem quàm ad verba attendere, tum quoque ut in allegationibus ex Vet. Instrumenti tabulis plerumque obtinet, verbis etiam alia vaticinia, eodem spectantia, inseri. Sic in priore loco, ut verbo id moneamus, phrasis cor liberorum ad patres redditur & *inobedientes in prudentiâ justorum*, ubi egregiè liberi redduntur per *inobedientes*, ad innuendum *degeneres* hìc *posteros* intelligi, quibus oppositi *parentes*, *justorum* nomine insigniuntur, ad *pios* illos *Majores* denotandos, de quibus egimus, quemadmodum pii demortui apud Judæos titulo צדיקים *justorum*, & præcipui inter illos, ut inprimis Patriarchæ & his similes, צדיקים גמורים *justorum perfectorum* appellari solent, v. *Talmud. Hieros.* AVODA SARA f. 42. 2. *Babyl.* BERACHOT. f. 18. col. 2. & *Bammidbar Rabba* f. 221. 3. Φρόνησις autem uti non solùm pro *sapientiâ* & *prudentiâ*, sed & pro *animi sententiâ* usurpatur, ita rectè voci *cordi* respondet, quemadmodum & disertè pro illâ *Prov.* XIX. 8. in vers. Græcâ occurrit. Convertere autem inobedientes in *sententiâ*, aut quemadmodum quoque reddi potest, *per sententiam justorum,*

rum, ſimpliciſſimè, ut exiſtimo, innuit, eandem ſententiam quam juſti hi Majores foverant illis inſpirare, aut in eandem illos perducere, hácque mediante, aut in illâ, eosdem in meliorem viam reducere. Quod adeò re ipsâ nil aliud eſt, quàm *eorum cor ad pios vel juſtos majores reducere.* Egregiè autem uterque locus facit ad ſcopum & nexum vaticinii *Malachiæ.* Promiſerat Deus cap. III. 1. *ſe velle angelum mittere, qui præpararet viam coram facie ſuâ, ſicque venturum Dominum quem quærebant ad templum ſuum, & angelum fœderis quem deſiderabant.* Ubi, uti Judæi plerique omnes concedunt, Dominum hunc non alium quàm Meſſiam eſſe, ita ſimul patet præparationem viæ ad quam angelus miſſurus, non alium ſcopum habituram, quàm ut ſecuturus mox templi Dominus, ſublatis impedimentis viam ſibi ſtratam inveniret, illíque, ad quos venturus, in fide eum reciperent. Unde id reapsâ nihil aliud dicit, quàm quòd cap. IV. 6. reductionis, poſterorum ad eandem fidem in Meſſiam quam Patres foverant & ad eandem pietatem, quæ in illis conſpicua fuerat, nomine venit. Quare cùm idem utriusque opus futurum, eadem quoque meritò perſona, ſub *angeli* hujus & *Eliæ* nomine intelligitur. Quód (licèt non pauci Judæorum per Angelum fœderis Eliam, ut per Dominum templi Meſſiam intelligant) rectè tamen nonnulli eorum ipſimet agnoverunt. Loca adducere ſuperſedeo, cùm ea apud *Cl.* FRISCHMUTHUM Diſſ. *de Angelo Fœder.* Cap. I. §. 11. legi queant. conf. ejusd. Diſſ. de Eliæ adventu cap. I. §. 24. Unde mirum non eſt, quod hæc verba Mal. III. 1. ſimul cum illis cap. IV. 6. conjungantur. Atque hæc omnia confirmantur loco parallelo *Jeſaiæ* XL. 3. *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domino* cet. Uti enim totum caput de Meſſiæ manifeſtatione agit, ut verborum emphaſis ſatis evincit, & Judæi ipſi agnoſcunt, v. *Clar.* VITRING. in *Comment.* com. 1. & his verbis præconium ad parandum Meſſiæ viam proponitur (quare & ABEN-ESRA hîc המבשרים *præcones* agnoſcit) ita cùm locutio propriè ſingularis numeri ſit, patet hîc unum aliquam

Præconem, vel ſolùm, vel ſaltim præcipuè intelligi, qui præ aliis operam daturus ſit, ut via hæc venienti Meſſiæ ritè præparetur. Cujus adeò opus cùm idem futurum cum illo, quod apud Malachiam Eliæ tribui audivimus, meritò & hîc de eadem perſona cogitatur. Inprimis cùm & in hoc capite ipſi Veteres Judæi invenerint *ELIAM Iſraëlitis regem ſuum annunciantem*, ut ex *Peſikta Sotarta* docet SCHOETGEN. pag. 97. & 141. & indubia teſtimonia quæ N. F. tabulæ ſuppeditant, de eodem nos abundè convincere queant. v. *Matth.* III. 3. *Marc.* I. 3. *Luc.* III. 4. & *Joh.* I. 23.

§. XIII.

Ex his omnibus igitur indubiò conſtat, hanc præparationem viæ, per incredulorum & impiorum ad fidem Majorum in Meſſiam, & à vitiis ad ſinceram pietatem, ſcopum eſſe manifeſtationis Eliæ hujus myſtici. Quod cùm non ſatis animadverterent recentiores quidam Judæorum Interpretes, comminationem, *ne veniam & percutiam terram anathemate* ad com. 4. *Memores eſtote legis Moſis* cet. *ne veniam* cet. referunt, acſi ſenſus eſſet: *ſi memores eritis legis illius* (cujus perpetuam durationem inde elicere quærunt) *mittam vobis Eliam, ſi verò non, veniam & percutiam terram anathemate*. Verùm hos non opus eſt, ut cum FRISCHMUTHO, fuſè refutare quæramus, cùm ipſe verborum ordo atque nexus ultrò arguat, verba illa potiùs cum immediatè præcedentibus com. 5. & initio 6. de miſſione & opere præcurſoris hujus cohærere, atque adeò ſenſum eſſe, *mittam vobis Eliam, qui reducat cor Parentum cet. ſi eum audiveritis, erit hoc medium averruncandi hujus judicii, ſin minùs, veniam & percutiam* cet. Interim neque illa turbatio ordinis Judæorum cauſam vel minimùm juvat. Utique enim & Moſes tam vaticiniis aliorum, quæ Scriptis ſuis ſervavit, nec non umbris legalibus, quàm propriis verbis clariſſima Meſſiæ teſtimonia perhibuit, & inprimis à ſe ad illum audiendum ablegavit Deut. XVIII. 15. *Prophetam ſicut me*

Domi-

Dominus Deus tuus tibi excitabit ex te, & ex fratribus tuis, HUNC AUDIETIS: & cum eadem ipsius Dei verbis repetiisset v. 18. statim v. 19. ejusdem nomine subjungit. *Et qui verba mea non audiet, quæ ipse in meo nomine loquetur,* AB EO ID EXIGAM. Ut adeò non possent Legis Mosis ritè meminisse, nisi hunc magnum Prophetam Mosi similem & ab ipso commendatum in fide reciperent, ejúsque Doctrinæ se submitterent. Unde & rectè non solùm Philippus dicit: *invenimus illum, de quo MOSES* IN LEGE ET PROPHETÆ SCRIPSERUNT Joh. I, 45. sed & Servator ipse meritò Judæis exprobrat Joh. V, 46. *si Mosi crederetis & mihi crederetis,* IPSE ENIM SCRIPSIT DE ME.

Ceterùm quando dicitur *ipse convertet cor Parentum* cet. ultrò patet, verba hæc non ut absolutam prædictionem in omnibus sine discrimine adimplendam, accipi debere, quia Deus simul tremendum illud judicium seu *diem* illum *magnum* atque *terribilem*, plus semel, ut certò venturum, hoc æquè ac præcedente capite annunciavit. Quare observandus hic est Canon, quem GLASSIUS inculcat Lib. III. Tract. III. Can. VIII. *Verbum, quod actionem, seu effectum notat, de conatu agendi quandoque intelligendum, & per CONOR cum proprio infinitivo exponendum est* quod pluribus exemplis confirmat, quibus adde *Jos.* X, 15. XXIV, 9. *Heb.* XI. 17. Ut adeò mens sit eum *conaturum, daturum operam, ut cor Parentum reducat* cet. Quamvis tamen verbo absolutè actionem denotante potiùs utatur, quia & verè in nonnullis præconium ejus felicem successum habiturum esset. Illis autem qui eum audire recusarent, certò certiùs gravissimum illud judicium reliquum manebat, unde ait: *ne veniam* cet. Eo ipso enim significat, si hoc præconium Præcursoris felicem successum non haberet, *se venturum & terram anathemate percussurum esse.*

§. XIV.

Hunc præcursorem cum præconio suo sistit nobis

Evan-

Evangelium IN JOHANNE BAPTISTA, quem, cùm, uti supra vidimus com. VIII. ut Eliam illum disertè commendet, simul docet hoc munere strenuè defunctum esse. Omnis præconii ejus scopus erat, Jesu Nazareno, quem, ob omnes characteres temporis æquè ac personæ, à Prophetis antea delineatos & in ipsum omni ex parte quadrantes, tanquam promissum Messiam meritò veneramur, testimonium præbere, eúmque ut talem judæis commendare v. Luc. III, 6. *Joh.* I, 15, 16, 26, 27 & 29-36. coll. *Matth.* XI, 2. seqq. Eum in finem excitabat eos, ut *ipsum* & *Evangelium regni ejus, quod jam propinquum factum esset*, in fide *reciperent* & *à peccatis suis sincerâ pœnitentiâ ad meliorem frugem reverterentur*. Joh. I, 7. Matth. III, 2. Marc. I, 15. nec tantùm hæc annunciabat, sed & sacramento *baptismi resipiscentiæ* confirmabat Marc. I, 4. Luc. III, 3. imò *quærebat corda eorum reducere ad Patres & Patrum ad filios*, unde illos disertè admonebat, ne *Abrahamum jactarent Patrem suum*: cùm ipsi, ut *progenies viperarum*, planè dissimiles facti, sed ut potiùs *sinceros resipiscentiæ fructus ederent*. *Matth.* III. 8, 9. Luc. III. 7, 8. Omnia hæc eò collineabant, ut præpararet Christo discipulos & corda disponeret, ad eum venientem in fide excipiendum atque sequendum vid. *Joh.* I. 37. seqq. & *Matth.* XI. 2. seqq. Hoc ejus studium excitandi Judæos ad pœnitentiam luculenter deprædicat JOSEPHUS *Antiqq.* Judd. Lib. XVIII. Cap. V. ubi postquam monuisset Judæos existimasse, quòd Herodis exercitus justo Dei judicio perierit, ob cædem Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου βαπτιςοῦ JOHANNIS cognomento BAPTISTÆ, pergit κτείνει γὰρ τοῦτον Ἡρώδης, ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ τοὺς Ἰουδαίους κελεύοντα, ἀρετὴν ἐπασκοῦντας, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ καὶ πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένους, βαπτισμῷ συνιέναι. οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπὶ τίνων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης. *Hunc enim Herodes interfecerat, Virum bonum & Judæos ad virtutis studium excitantem, præcipientem ut justitiâ erga proximum, & pietate erga Deum utentes*

ad

ad baptismum accederent. Sic enim baptismi actum illi gratum futurum, neque eo ad expiationem quorundam criminum uterentur, (ut nempe illi faciunt, qui tristia crimina cædis fluminea tolli posse aquâ putant) *sed ad mundationem corporis, utpote mentibus jam antea per justitiam purificatis.* Imò non tantùm ad hæc officia excitabat, sed & illa eodem argumento, ab imminente gravissimo judicio desumto, adhortationem urgebat: *Progenies viperarum! quis ostendit vobis effugere futuram iram? Securis jam ad radicem posita est; omnis igitur arbor non ferens bonos fructus, exscindetur & in ignem conjicietur. Matth.* III. 7, 10. & *Luc.* III. 7, 9.

§. XV.

Quàm parùm autem hoc præconio profecerit, eadem historia Evangelica testatur. Licèt populo primùm gratus esset, nec paucos pararet Servatori discipulos eosdémque baptismo inaugurarct, plerique tamen illi non *crediderunt Matth.* XXI, 25. sed *Eliam hunc non agnoscentes in eo fecerunt quæ voluerunt Matth.* XI, 12. Herodes autem illum in carcerem conjecit tandémque capite mulctavit. *Matth.* XIV. 3, 10. Hinc & Servatorem ipsum *venientem ad sua, sui non receperunt Joh.* I, 11. cùm viderent neque ejus personam præjudiciis suis, de terreno quem exspectabant rege, & mundano regno, per eum erigendo, neque præcepta ipsius severiorémque disciplinam, votis suis & perditæ vivendi rationi, respondere. Imò tandem post quotidiana convitia, structásque illi sæpe insidias omnibus modis pessimè habitum per manus injustorum in crucem egerunt, Act. II, 23. sicque fidem Patrum in ipsum penitùs abnegantes, & infandæ hypocrisi gravissimisque sceleribus se totos tradentes, loco ingenuorum liberorum tam piorum, quibus gloriabantur, majorum, cordisque ad eosdem reductionis, se veros diaboli filios præstiterunt, *Joh.* VIII. com. 44. Unde & Servator, horum omnium causâ, illis idem tremendum judicium, & dirum anathematis carmen denuò annun-

ciavit, disertè interminatus: *totam terram gravissimis bellis concutiendam atque vastandam. Ingentem angustiam futuram in terrâ & iram super populo. Imò afflictionem qualis non fuerit ab initio mundi neque futura, & nisi dies illi abrumperentur, nullam carnem servari posse. Multos casuros acie gladii, & deportandos inter omnes gentes. Tum verò urbem obsidione cinctam penitus devastandam, tandemque à gentibus conculcandam, donec tempus gentium advenerit, templum autem ita delendum, ut lapis super lapide non maneret*, sicque *domum ipsorum ipsis vacuam relinquendam. Denique auferendum ab ipsis regnum Dei & gentibus dandum*, quæ omnia fusiùs legi possunt Matth. XXI. XXIII. XXIV. coll. Marc. XIII. & Luc. XIX. & XXI. Et horum quidem omnium causam futuram sui rejectionem & gravissima scelera idem clarissimè subjungit, testatus, ea ipsis eventura, quia *tempus visitationis suæ non agnoverint, cùm ipse eos congregare voluerit instar gallinæ sub alis suis, noluerint*, quia post *spretos rejectósque ad se missos ministros varii ordinis & temporis* (quorum ultimus Johannes) *ipsum filium vineæque hæredem vineâ ejecerint atque obtruncaverint Luc.* XIX. 44. *Matth.* XXIII, 37. coll. *Luc.* XIII, 34. & XX, 14. Imò hunc adventum ad tam tremendum judicium, ipse ut certissimum signum posuit coram Synedrio, *quòd esset Christus filius Dei* Matth. XXVI, 64. Quis igitur hîc non agnoscere cogitur, propriorem τοῦ חרם *Cherem* & πανολεθρίας descriptionem? Quis non ejus causam, quòd secundùm præconium præcursoris Messiæ Servatorem in fide recipere, & sinceram pœnitentiam agere, viamque adeò patentem manifestato Messiæ pandere noluerunt?

§. XVI.

At hæc omnia ipse eventus clarissimè confirmat. Historiam belli per Romanos gesti, æquè ac bellorum intestinorum, quibus omnibus terra miserè vastata est, cum Historiâ obsidionis Hierosolymæ, omniumque miseriarum quibus

quibus incolæ pressi, nec non deletionis urbis & combustionis templi cum clade Judæis illatâ, dum 1100000. durante obsidione, ferro aut fame perierunt, & 97000. captivi abducti sunt, JOSEPHUS fusè in libris ἁλώσεων tradidit. Quàm graviter חרם ἀνάθεμα illud terræ per tot retrò secula in hunc diem usque incumbat, ipsa tristissima Palæstinæ facies, si cum pristinâ conferatur, testatur. Nulla certè regio unquam in orbe fuit, quæ comparari cum hac mereretur. Uti situm, ut mox videbimus, tam opportunum atque faventem nacta est, ac quidem concipi aut desiderari potest, ita descriptio ejus in sacris eâ ratione comparata est, ut nihil de ullâ regione tam magnificum dici queat, quod hæc non superet. Appellatur *terra bona & ampla fluens lacte & melle. Ex.* III, 8. coll. XIII, 5. & *Num.* XIII, 25. quâ phrasi, ut *Summus BOCHARTUS Hieroz.* P. II. Lib. IV. c. XII. ostendit, Poëtæ summam omnium rerum abundantiam innuere solent. *Terra bona, terra torrentium aquæ, fontium & abissorum prodeüntium in valle & monte: terra tritici & hordei, vitium & ficuum & malogranatorum, pingium olearum & mellis, terra in quâ non parcè comedendus panis, nec quicquam deesset, terra cujus lapides ferrum, & ex cujus montibus exscinderetur æs. Deut.* VIII, 6. 8. 9. quibus ipsam fœcundissimam Ægyptum multis modis superabat. *Deut.* XI, 10-12. conf. 2 Reg. XVIII, 32. & Jes. XXXVI, 17. Eadem præstantissimas omnis generis arbores ferebat, animalia tam domestica, quæ ad agri culturam apta, quæ carnem, lac & butyrum, tum lanam & vellera præbebant, quàm fera in cibum quoque grata, cum *piscibus* quos fluvii & maria dabant, quæ propiùs enumerat *Cel. RELAND. Pal.* Lib. I. Cap. LVII. Ut adeò meritò צבי כל הארץ *decus omnium terrarum adpelletur.* Ezech. XX, 15. Urbium quo libro Josuæ & passim numerantur circiter CCCC, quo numero, tamen non omnes comprehenduntur, quæ in terrâ fuerunt, aut successivè erectæ sunt, cùm Josephus in vit. suâ in solâ Galilæâ earum cum vicis CCCCIV. memoret, unde eruditiss. J. J. SCHMID in *Mathem.* Bibl. p. 142. minimùm urbium & vicorum M. statui posse censet.

ſet. De incredibili incolarum numero mox dicemus. Quòd ſi contrà hodiernam ejus faciem contemplemur, magna terræ hujus pars nudas horridásque petras oſtentat, pauci illic agri culti & conſiti, dulcis aqua rarior, pauca loca habitata, pauciſſima oppida inprimis alicujus momenti. Audiamus hac de re tantùm unum aut alterum recentiorum periegetarum. *Porrò qualis tum urbis & terræ facies erat*, ait MARTINUS à BAUMGARTEN *Itin.* Lib. II. cap. XIV. *cùm exciſa ſolo complanaretur, talis & hodiè & fortè triſtior ac miſerabilior videtur, ruinis denuò omnia occupantibus. Adeò ut quæ olim terra lactis & mellis præ ubertate dicta eſt, ea hodiè* TERRA TRIBULORUM, SPINARUM AC DESOLATIONIS *meritò dici poſſit.* EUGEN. ROGER dans *la Terre, Sainte* Lib. I. Cap. XX. *C' eſt donc avec ſujet, quæ cette Province qui eſtoit l' heritage des favoris & bien-aymes de Dieu, eſt appellée Sainte: quoy* QU' AUJOURD' HUY ELLE SOIT AUSSI DEPLORABLE EN SES RUINES, *qu' elle a eſté admirable en ſa ſplendeur; & ce par un effet adorable des jugemens de Dieu, qui pour les crimes qui ſe commettoient en la Sainte Cité, en predit & permi la deſtruction, laquelle s'eſt entenduë dans toute la contrée - - - Tellement que ſi elle n' avoit eſté apartement connuë de toutes les nations de la terre, le* PITEUX ESTAT AUQUEL ON LA VOIT AUJOURD' HUY, FEROIT CROIRE ET TENIR POUR CHOSES FABULEUSES LES MERVEILLES, QUE LES DIVINS ORACLES NOUS EN ONT LAISSÉ PAR ECRIT. *Inprimis addi meretur eruditiſſ. MAUNDRELL. verſ. belg. edit. Ultraj.* 1705. p. 83. *De ganſche weg over, die wy van kan Leban af tot Beer toe gereisd hadden en desgelycks zoo ver als wy in 't ronde zien konden, vertoont het Land zig geheel anders, dan 't eertyds geweeſt is; aangezien meeſt overal zig niet dan bloote rotzen, bergen en ſteiltens opdoen: over welck gezigt de Pelgrims gemeenlyk zeer verwondert, en in hunne verwagtinge bedrogen zyn, dewyl zy dat land, van welkers aangenaamheid en overvloed zy zig volgens de beſchryving in Gods woord, wat groots verbeelden, nu zo onherbergzaam vinden: ja hun gelove wankeld byna, wanneer zy overdencken hoe 't mogelyck kan zyn,*

dat

dat zulck eeu land voedzel heeft konnen voortbrengen voor zo grooten getal Inwoonders, als men t'effens op eenen tyd onder de twaalf Stammen, volgens Joabs overgeleverde lyst 2 Sam. 24. opgetekend ziet, enz.

§. XVII.

Hæc tamen atque his similia minimè eò trahi debent, ut idcircò ipsorum Scriptorum sacrorum ἀξιοπιςία in dubium vocetur, aut abnegetur, quemadmodum nonnulli, in sacrum codicem irreverentiùs adfecti, sustinuerunt. Præivisse illis jam ipsum JULIANUM, qui à desertis Christianorum sacris APOSTATA vulgo adpellari solet, *Mosen ut impostorem, traducentem, quòd Cananæam tantis laudibus extollat, quæ tamen adeò fæcunda non sit ac eam descripserit*, observat *Cl.* LEIDECKERUS *de Rep. Hebr.* Lib. VI Cap. II. Secutus illum vulgò creditur MICHAEL SERVETUS, qui ut (ex *New Memoires of* Literature Vol. I. p. 26.) monet *Vir Eruditissimus* TH. SHAW in optimæ frugis libro, quem inscripsit *Travels or Observations of Barbary and the Levant*, pag. 365. in not. in descriptione tabulæ Canaanis Ptolemæi subjunctâ scribit: *Scias tamen, Lector optime, injuriâ aut jactantiâ purâ tantam huic terræ bonitatem fuisse adscriptam, eo quod ipsa experientia mercatorum, & peregre proficiscentium hanc incultam, sterilem, omni dulcedine carentem depromit. Quare promissam terram pollicitam & non vernacula linguâ laudantem pronuncies*, cet. Quamvis tamen *Celeb.* ELSNERUS, loco mox laudando, non sine ratione adfirmat, verba illa licèt à Serveto adprobata non tamen ab illo primum, sed forsan à LAURENTIO PHRISIO *medico* profecta esse. Eorundem vestigiis dein strenuè institit TOLANDUS in *Origg. Judd.* provocans quoque partim ad αὐτόπτας periegetas, partim ad testimonium STRABONIS qui de Mose narret, *quod ad locum ubi nunc Hierosolyma condita sunt* (Judæos) *deducens, facilè eum obtinuerit, quoniam æmulationi non esset obnoxius, nec dignus, de quo*

 con-

contenderetur. Esse enim locum saxosum, aquâ quidem abundantem, sed τῷ κύκλῳ χώραν ἔχον λυπρὰν καὶ ἄνυδρον, τὴν δὲ ἐντὸς ἑξήκοντα ςαδίων καὶ ὑπόπετρον *regionem circumsitam habentem sterilem atque siccam, & intra 60. stadia infernè saxosam.* Retuderunt quidem hanc hominum maleferiatorum, Scriptorum Sacrorum fidei tam protervè insultantium, ferociam, Viri Docti, ex quibus inprimis post RELANDUM laudari merentur, Vir *adm. Vener. JOHANNES FAEYUS, Cl. BAUMGARTENIUS* in not. ad *Hist. Mundi Univers.* Tom. II. p. 545. quósque ipse ibidem adduxit, & nuperrimè *Clar. ELSNERUS* in *Appendice Continuat. Descript. Græcor. Christ.* linguâ vernaculâ A. 1747. Licèt autem eorum industriâ argumentum ferè exhauserit, verbo tamen rem tangemus, tum verò inprimis eandem ad scopum nostrum breviter transferemus.

§. XVIII.

Quare, ut à STRABONE, initium faciamus. Uti is, licèt ceteroquin Geographus optimæ notæ, in rebus tamen judaicis non magnam fidem meretur, & in ipsâ hac relatione plus semel lapsus est, ita inprimis disertè non de integrâ terra Judæorum, sed tantùm de solo Hierosolymitano & regione 60. stadiorum circumquaque loquitur quæ nondum duo milliaria germanica constituunt, neque adeò eo ipso quicquam reliquæ terræ fertilitati derogat. Denique licèt verè locus ubi urbs sita, ejus indolis sit, ut ex itinerariis constat, & temporibus primæ occupationis terræ etiam tristior hæc facies se longiùs extenderit, nihil tamen obstat, quò minus soli ingenium sedulâ curâ dein emendatum sit. Nec recentiorum periegetarum relatio pristinæ bonitati obstat. *Primò* enim ex hodierno statu terræ alicujus, non licèt certum de præterito judicium ferre. Nam, uti omnium temporum experientia in hunc diem usque testatur, regiones nonnunquam sabulosas & infrugiferas cultu fertilissimas, & contra optimas & maximè frugiferas neglectu degeneres sterilésque redditas esse, ita etiam *agri perboni, dili-*

ligentiâ culturâque meliores evadunt, ut CICERO docet Orat. *pro Flacco*, *contra autem Ager quamvis fertilis*, *sine culturâ fructuosus esse non potest*, ut idem *Tuscul.* Lib. II. c. V. monet. *Secundò*, Eandem fertilitatem terræ quam Sacri Scriptores tantopere prædicant, confirmant, qui ante destructionem templi secundi adhuc vixerunt, ut inprimis JOSEPHUS, *Judæam* vocans *regionem fertilem*, *Galilæam totam pinguem & pascuam*, *omniúmque generum arboribus consitam*, *sic ut vel minimè studiosos agriculturæ ubertate suâ provocet*, *imò totam cultam & fructuum feracem esse*. vid. hæc & alia ejus testimonia non minus illustria, ut & ARISTÆÆ & HECATÆI ABDERITÆ, ad quos ipse provocat, apud *Relandum* l. c. Quicquid autem contra horum duorum auctoritatem etiam excipiant nonnulli, id tamen indubium est, JOSEPHUM non solùm historicum fide dignum esse, sed & cùm plerosque libros suos *Epaphrodito* homini Romano non exiguæ dignitatis, eo tempore, quo Judæorum res Romæ debebant esse notissimæ, inscripserit, non ausum fuisse in re istiusmodi falsi quid scribere, aut ad falsa testimonia provocare, ubi unusquisque eum mendacii arguere potuisset, quod certè vel infensissimus in gentem judaicam *Apion* non omisisset, qui tamen nec ipse magis, quam quisquam alius, quantum constat, ejus fidem in his, sollicitare unquam ausus est. Nihil verò eorum testimonia magis extra omnem dubitationis aleam ponit, quàm quòd TACITUS, homo extra partes positus, & à Judæorum Sacris alienus quique eodem tempore sub Vespasiano vixit, idem comprobat, *Hist.* Lib. V. c. 6. de *Judæâ* scribens. *Uber solum*, *exuberant fruges nostrum ad morem*, *prætérque eas & balsamum & palmas. Palmetis proceritas & decor.* Prætereo lubens ne longior sim, quæ de quibusdam terræ hujus tractibus aut nonnullis ejus proventibus, *balsamo*, *palmis*, *vitibus*, cet. POLYBIUS, DIOD. SICUL. STRABO ipse, JUSTINUS, PLINIUS magnifica memoriæ prodiderunt, aut ipsis nummis sub templo II. cusis, & adhucdum superstitibus, ad seram posteritatem transmissa sunt.

§. XIX.

Aque hæc uti ante destructum templum II. aut eodem circiter tempore perhibita testimonia, pristinæ conditionis indubia argumenta præbent, ita *Tertiò* adprime eadem confirmat, quòd etiam post devastationem, terra hæc prioris fertilitatis certissima documenta retinuit. Huc spectant verba AMMIANI MARCELLINI Historici Sec.IV. optimæ notæ scribentis Lib. XIV. *Ultima Syriarum est Palæstina, per intervalla magna protenta, cultis abundans terris & nitidis, & civitates habens quasdam egregias.* Qui locus ideò inprimis notandus, quòd AMMIANUS eodem cum JULIANO tempore vixit, & dum post geminam devastationem Judææ sub VESPASIANO & HADRIANO, adhuc tam præclara testatur, satis ostendit, quàm nulla causa fuerit, Mosis ἀξιοπιστίαν traducendi. Subjunguntur superioribus à Viris Doctis luculenta testimonia Secul. III. & IV. EUSEBII, HIERONYMI, PROCOPII, ipsorum dein *Arabum*, tum BROCARDI *Monachi*, Sec.XIII. nec non periegetarum Secul. XV. & seqq. usque ad nostra tempora. Qui omnes uno ore manifesta fertilitatis hujus signa produnt. Videamus tantùm unum aut alterum, qui forsan aliorum industriam fugit. CHRISTOPH. FURERUS AB HAIMINSDORF in rariori *Itinerario*, quod Norimb. 1621. prodiit, scribit, p. 46. *Hujus regionis amoenam fertilitatem in sacris tabulis aliisque Historiarum monumentis tantopere prædicatam, quippe quæ lacte & melle, hoc est omnibus iis, quibus opus habet mortalium vita, exuberare dicebatur, quotidiana experientia hodiéque confirmat. Sive enim collium fertilissimorum multitudinem spectes, sive fructuum præstantissimorum abundantiam, vix aliam illi præferes. Segetes tunc temporis tantæ altitudinis agri ferebant, quanta terra nostra vix mensibus Majo Junióque. Negari tamen non potest* ANTIQUÆ FOECUNDITATIS VIX DECIMAM PARTEM SUPERESSE. ROGERIUS supra laudatus Lib. I. cap. II. proventus ejus enumerans, inter alia asserit *eam non solùm, omnes arbores, frutices,*

ces, herbas, quas Gallia fert, ultrò, sed & præter eas innumeras alias, quibus ea destituitur, aut quæ cum summâ curâ colit, producere. A mense Decembri usque ad Majum, omnes vias & cœmeteria aliaque loca non culta, sive colles, valles aut campos ita esse variegatos omni genere florum sponte crescentium, ut Anemonum, Hiacynthorum, Narcissorum, Liliorum persicorum, Ranunculorum omnis generis, Iridis omnis speciei & coloris - - ut ipsi videantur reliquiæ areolarum Paradisum quondam terrestrem exornantium. Quòd si quæ iidem aut alii Itinerariorum Scriptores de reliquiis hujus fertilitatis in quibusdam tractibus, sigillatim memorant, adferre, vellem, angusta hæc pagina ea non caperet.

§. XX.

Ejus loco igitur *quartò* subjungo, quòd ipse *situs* quem terra hæc in globo nostro terraqueo nacta est, maximæ fertilitati, omnibus modis faveat. Iacet non solùm sub XXXII - XXXIV. gradu latitudinis borealis, quare nec æstate nimio ardore, nec hyeme intensiori frigore uritur, quemadmodum & regiones ejusdem climatis inter fertilissimas totius orbis sunt, sed & dispositio vicini, nec tamen nimis propinqui maris, & latera claudentium montium maximè prosunt. Non possum ea facilè rectiùs quàm verbis supra laudati Rogerii Lib. I. Cap. II. delineare. *Or on peut dire que ce qui la rend ainsi fertile, c'est tant à causse qu'elle est dessou le 32, 33 & 34. degre de l' elevation du Soleil, que pour avoir le Mont Liban en la partie Septentrionale, lequel est en tout temps couvert de neiges, & par consequent le vent qui vient de ce costé la, luy envoye des vapeurs pour la refraischir & humecter, aussi bien que du vent du Midy. Car les montagnes de Seïr, & de l' Idumée, qui la renferment en la partie Meridionale, estans fort hautes, & la plus grand part de l' année couvertes des neiges & de grosses vapeurs, le vent de Midy les répandant par toute la terre Sainte luy fournit d'humidité, qui fertilise beaucoup mieux toutes les plantes,*

que

que tous les arrousemens desquels nous nous servons: En la partie Orientale le fleuve du Jourdain, la Mer Tyberiade, & la Mer morte luy fournissent de mesme des referachissemens, lors que le vent de l'Orient souffle; & la Mer mediterranée ne luy peut manquer, estant un assez ample vaisseau pour luy donner en abondance des vapeurs humectantes; Ce qu'elle fait toutes les nuits en telle sorte, que j'ay veu quelquefois les matins au plus chaud de l'Esté, quoy que depuis deux mois & plus, il n'y eut plû une seule goutte d'eau, que les chemins estoient si gras de la rosée, qu'on ne pouvoit se soustenir.

§. XXI.

His omnibus addimus *quintò* argumentum, quòd eruditi Angli in *Histor. Mundi Univers.* loco adducto, maximè urgent: scilicet vel eo solo inprimis pristinam illam incredibilem fertilitatem patere, *quòd exigua hæc regio tantæ multitudini incolarum, qui certâ ratione ab illis quæ terra hæc ferebat, sine ullo alicujus momenti adjumento externi mercimonii vixerunt, nutriendæ suffecerit.* De cujus argumenti robore, ut tantò clariùs constet, observandum, quòd ex Ægypto primùm egressi sint 600000. qui arma gerebant Exod. XII, 37. His igitur si addas mulieres & innuptas virgines, cum liberis & decrepitis ad militiam ineptis, secundùm minimam proportionem, 1 ad 4, ita ut unicuique viro tantùm unam uxorem, duos liberos, tum in relatione ad unumquemque unum decrepitum senem aut mulierem jungas, redibit inde numerus 3000000. seu trium millionum. Porrò à viris doctissimis *Guil.* NICHOLS, PATTY, WHISTON ex annalibus præcipuè Londinensibus, per collationem eorum qui per plures successivè annos nati, & mortui sunt, observatum est, singulis 360 annis, genus humanum duplicari, unde per regulam proportionis sequitur, quòd si 360 annis numerus 600000. armatorum, qui ex Ægypto egressi sunt, duplicatus, indéque viri 1200000 arma gerere apti, orti sint, hic numerus 474 annis, quot ultima Davidis tempora

pora ab egressu ex Ægypto distabant, debuerit esse auctus ad 1580000, quæ summa quoque proximè redit, si numerus ad militiam aptorum in Juda & Israële, quem Joabus Davidi retulit 2 Sam. XXIV. 1 Chron. XXII, 5. & XXVIII, 1. ritè ineatur. Prodeunt enim 1588000, quos si in eadem proportione, ut supra, pro quintâ parte reliquorum, arma non gerentium sumas, exsurget numerus 7940000, seu ferè *octo* millionum, videatur de his supputationibus *Clariss.* WIDEBURGIUS in Mathes. Bibl. ad 2 Sam. l. c. & *doctiss.* J. J. SCHMID in *Math. Bibl.* pag. 39. seqq. & 70. seqq. Quòd si illis insuper addantur mancipia utriusque generis, summa hæc incolarum Canaanis adhuc in immensum augebitur. Non ignoro R. SUSMILCHIUM *de Multipl. hum. gen.* p. 15. contra duplicationem hominum singulis 360. annis quædam movere dubia, verùm cùm *Cl.* PATTY ostenderit, sæpe jam in *angliâ* duplicationem hanc 40. annis factam esse, & ipse R. SUSMILCHIUS doceat, ex observatione plurium annorum, in multis urbibus & regionibus, quæ Borussico Sceptro parent, ceteris paribus, eandem jam 90. imò 50. annis fieri, & proportio inter illos, qui Davidis tempore vixerunt, & qui Ægypto egressi sunt, *Cl.* PATTY hypothesin mirè confirmet, ultrò patet, quòd, non obstantibus illis, qui interea temporis, extraordinariis casibus bello aut peste intereunt, duplicatio tutissimè ad 360 annos determinetur. Hinc porrò manifestum est, quòd cùm diligentissimus harum rerum ruspator STRUYCKIUS in *Introd. in Geogr.* numerum incolarum foederati Belgii ad $2\frac{1}{3}$ milliones determinandum invenerit, hi ferè tantum $3\frac{1}{3}$ partem incolarum Canaanis, Davidis tempore, efficiant. Cùm igitur terra Canaan trans & cis Jordanem summùm circiter non nisi 40. milliarium germanicorum & 25. latitudinis fuerit, patet quantæ fertilitatis esse debuerit, ut tam immensam hominum multitudinem alere posset. *Cel.* BAUMGARTENIUS quidem, quo est candore, loco supra laudato, monet, ingentem illum & prodigiosum numerum, Scripturæ S. quoque testimoniis niti, verùm, uti ipse optimè subjungit, etiam à talibus, qui ejus divinam originem admittere nolunt, præter rationem tamen, antiquissimorum horum librorum ἀξιοπιστίαν negari, quam

quam hi homines aliis profanis ſcriptis concedunt; ita inprimis addimus, etiam ex aliorum Scriptorum teſtimoniis de hujus rei veritate indubiò conſtare. Huc facit, quòd HECATÆUS ABDERITA apud JOSEPHUM Lib. I. *contr. Apion.* ſolius urbis Hieroſolymitanæ incolas 120000 fuiſſe ſcribit, ipſéque JOSEPHUS de B. J. Lib. III. cap. 3. minimum vicum Galilææ, eorum 15000 habuiſſe refert, ſecundùm quem calculum plus ſemel laudatus J. J. SCHMID exiſtimat ſummam omnium ad 20000000, ſeu 20 milliones adſcendere, quæ ſumma eſt incolarum totius regni Galliæ, v. SUSMILCH. p. 79. Uti autem in hoc numero adaugendo *Rev.* SCHMID ſibi nimium indulſiſſe videtur, ita certius quid patet ex numero agnorum paſchalium Hieroſolymis mactatorum, quem Ceſtius Procurator, in gratiam Neronis, iniri juſſit. Hunc enim tantum invenit, ut ſi pro ſingulis agnis ſolùm decem convivæ ſupputentur (quod omnium minimum erat) inde multitudinem 2700000 rediiſſe, ſcribat JOSEPHUS de B. J. Lib. VI. c. IX. Quem tamen numerum, ex ſupputatione renum, *Agrippæ* juſſu aliquando factâ, Judæi in ſcriptis ſuis adhuc immenſum adaugent v. LIGHTFOOT. H. H. ad Joh. XII. 12. Illi autem *Joſephi* (additis, ut videtur, quibus Paſcha comedere nefas erat) alter 3000000, quos eundem CESTIUM, in feſto Paſchatis, circumſtetiſſe, idem refert de B. J. Lib. II. cap. XIV, ſatis reſpondet. Quòd ſi priori numero addantur, omnes qui domi remanſerant, omnes qui ob ætatem aut immunditiem Paſcha comedere non poterant, cum proſelytis portæ inter Judæos habitantibus, tum verò inſuper cogitemus ſæpe multò plures, ad quindecim, imò viginti usque, ex uno agno comediſſe, ultrò liquet, prodigioſum planè iterum hinc numerum exſurgere. Redigit hunc *Cl.* CLERICUS, ad 13000000, ſed ſimul objicit, quòd anguſta illa terra tot alere non potuiſſet. Verùm ſecundùm calculum illorum, qui rem mathematicè ſupputarunt, totámque terram ad pedes quadratos redegerunt, patet, ex hypotheſi R. SCHMID qui numerum maximè adauxit, 20 hominibus integrum tamen ſpatium quadrati ſtadii ſeu octavæ partis milliaris germ. ex eorum autem, qui cum CLERICO ſentiunt, ſingulis hominibus, ad tenerrimos infantes uſque, ferè portionem pedum Rhenolandi-

landicorum 14000. reliquum manere, unde nemo dubitaverit illos commodè victum quærere potuisse. v. SCHMID & WIDEBURG. l. add. Posset id propiùs confirmari, si tempus id pateretur, collatione cultissimi regni Chinensis, cujus incolæ ad 200 milliones censentur, qui tamen omnes illic victum inveniunt, v. SUSMILCH p. 95. sed temporis chartæque angustia id non patitur. Quæ omnia adducenda mox pristinæ culturæ ratio in clariori luce ponet.

§. XXII.

Hinc igitur concludendum necessario est maximi momenti causam esse debere, quæ hanc mutationem induxerit. Atque hæc propriè & primariò est ipsum illud *Anathema* quo Deus terram percussit. Uti enim omnis fertilitas ab ejus benedictione pendet, ita hæc quoque illius causa disertè in Sacris celebratur. Unde *terra* audit, *in quam oculi Jehovæ defixi erant, inde ab initio anni usque ad finem ejus* Deut. XI, 12. Hinc igitur justum ejus judicium quoque hanc felicitatem aufert, quod & ipse interminatus est Deut. XXVIII, 23. 24. & XXIX, 23.

Quemadmodum autem Deus neque per saltum agit, neque naturæ leges planè immutavit, ita facilè colligitur, eum & tale judicium neque unico momento, neque immediatè, sed successivè, & causarum secundarum interventu, quas providentia ejus, ad id vel determinavit, vel sanctè moderata est, exsecutioni dedisse. Judæi hîc ipsas naturales causas concurrisse censent, unde in *Maccoth*, & *Bava Bathra* asserunt, *ex quo templum vastatum, rorem non amplius ad benedictionem descendere, saporémque fructibus*, & (ut R. Jos. addit) *pinguedinem frugibus ademptam esse, nec ab illo tempore amplius ventum australem pluvias adferre.* v. DEYLING. Lib. II. Obs. IX. §. XIV. Quid hac de re sit, cùm historia naturalis, de nexu causarum, quibus hi effectus promoveri aut impediri possunt, & quomodo ille se in Canaane

habe-

habeat, non satis pateat certò quidem determinare non licet, interim tamen ἀδύνατον non est, tales causas concurrere posse, quemadmodum & Deut. locc. add. illis non absimiles allegantur. Inprimis verò plurimum huc contulerunt creberrimæ terræ hujus vastationes, per Romanos sub VESPASIANO & dein HADRIANO, tum Sec. VII. sub COSROE, mox per SARACENOS, inprimis verò Sec. XI. in BELLIS illis vulgò SACRIS dictis, & tandem per Sultanos Ægypti & Turcas. His addi ante omnia debet, ipsa quondam terram hanc colendi ratio. Scil. in pluribus orientis regionibus montuosis & petrosis moris est, ut in montibus aut petris integras series lapidum disponant, aut exiguos muros struant, quibus terra superingesta sustineatur, quo facto petræ fertilissimæ redduntur, cùm non solùm calorem solarem adaugeant, sed & conservent & simul temperent, ut docet *Illustr. WOLFIUS de finib. rerum natur.* §. 200. seqq. Accedit quod & altitudine suà longè majorem superficiem quàm plana constituant, & hæc lapidum dispositio etiam humorem conservet. Ita in hunc diem agunt industriosissimi Sinenses ut docet *P.* DU HALDE T. I. p. 100. *Pour empêcher que les pluyes n'emportent les terres & pour retenir l'eau, elles sont coupées en terrasses qui sont soutenuës par des murailles séches baties des pierres mêmes, dons la terre etoit couverte.* conf. & Tom II. p. 77. Idem in Canaane quondam locum habuisse, hujusque rei passim adhuc reliquias & vestigia cerni, ex BELLONIO, COTOVICO & MAUNDRELLO Viri Docti observarunt. Addam illis tantùm unum locum non contemnendum ex VINCENTII STOCKHOVE, *Viri Consularis Bruggensis, Bereisde Oosten,* qui p. 326. scribit: *Judeën en Samarien zyn vol bergen, de welcke ten tyde der Joden, zo wel gade geslagen waren, dat m' er niet onvrugtbaars en zag, doordien het Land onderstennd wierd door kleyne muuren, in der voegen dat deze bergen schouw-toneelen scheenen te wezen.* Quando autem hæc cultura negligitur & vento atque imbri-

bus

bus terra dejicitur, murive cadunt, ut petræ nudentur aut non ſatis terræ retineant, vel ſata planè provenire, vel ubi radicibus petram attingunt, mox exareſcere debent, unde lucem accipiunt verba Servatoris *Matth.* XIII. com. 5. & 6. coll. *Marc.* IV. 5. Talis autem hodiè Palæſtinæ facies eſt, unde fertiliſſimi montes atque colles nunc nudatas petras præbent, ut modo laudati Scriptores ſubjungunt. Hujus æquè ac omnis reliquæ neceſſariæ ſummóque ſtudio exercitæ culturæ neglectum, maximè efficit atque adauget incolarum defectus, & conditio. Tam enim exiguus eorum eſt numerus, ut labori minimè pares ſint. *Het kleen getal Inwoonders*, ait *STOCKHOVIUS*, *die daar hedendaags zyn in geheel dat Land, is oorzaake, dat het zo vrugtbaar niet en is, als voordezen, 't welck door het groot Getal der Menſchen, zig begevende tot den Landbouw, eertyds wonderlyck inbragt.* & Doctiſſ. TH. SHAW cap. III. p. 365. *Si terra promiſſa cùm maximè adhuc tam populóſa & culta eſſet, magis frugifera etiamnum foret, quàm optima pars tractûs Syriæ & Phœniciæ* cet. Conditio autem: Turcæ enim naturâ nihil minùs quàm laborioſi ſunt, tum ob diverſa ſacra & ferocem indolem reliquos premunt; judæi non agriculturæ, ſed quæſtui ex mercimonio inhiant; Chriſtiani & pauci, & exilioris plerumque fortunæ, & ſibi mutuò ob diſſenſum in Doctrinâ infenſi, & maximam partem ſi perſonas religioſas ſpectes, cerimoniis ſacris non labori intenti, tum verò omnes, ne ſic quidem etiam à palantibus Arabibus tuti, qui ut *Eruditiſſ. Pocockius* in admirabili opere *Deſcript. of the Eaſt. Vol.* II. P. I. Lib. I. c. 1. obſervat. *ſæpe homines in ipſis hortis ſuis denudant.* Unde videntes ſe, ſi ad meliorem fortunam pervenirent, majoribus adhuc ſive Arabum, ſive Turcarum vexationibus expoſitos fore, neceſſariis contenti vitam tenuiter degunt. At forſan dices, hac ratione effectum cauſis ſecundis tribui. Verùm in eo nulla eſt difficultas. Quis enim cauſas illas ſecundas ita ordinavit, eorum nexum poſuit, easdémque moderatur, niſi is qui

 omnia

omnia nutu ſuo temperat, mortaliúmque fata prudenter diſpenſat? Imò quò facilius videtur, ſi homines in id conſentirent, judicium hoc à Judæis eorúmque terrâ auferri poſſe, eò magis infinitam Dei ſapientiam atque potentiam admirari licet, quæ id occulto moderamine non minùs nunc usque ad conſtitutum à ſe temporis articulum impedire novit, quàm quondam, cùm Judæi ſub Hadriano vires in hac terrâ recuperaſſent, illos novis ingentibúsque cladibus ex eadem propulſavit, aut eorundem, ad inſtaurandum templum irritúmque reddendum Chriſti vaticinium, conatus, licèt Auctore atque Promotore ipſo Imperatore Juliano, ſuſceptos, tremendis prodigiis eluſit.

Denique ex his omnibus eluceſcit terram cum incolis, *anathemate percuſſam eſſe*, dum non ſolùm ſtatim cum ejus vaſtatione, tot centena millia eorum perierunt, ceteris in captivitatem abductis & venditis, ſed & reliquiæ iteratis cladibus adflictæ & per univerſum orbem diſperſæ, quotidîaníſque adhuc contumeliis expoſitæ, patriâ de ſede revulſæ oberrant. In quibus omnibus vividiſſimè impletum eſt, quod Paulus, forſan ad hoc חרם ſ. ἀνάθεμα cum adventu Domini ad horrendum illud judicium, reſpicit, 1 Cor. XVI. 22. Si quis Dominum Jeſum non amet ſit ἀνάθεμα μαρὰν ἀθὰ *anathema Dominus venit*. Unde & mirum non eſt quod Paulus pro illis, quò nempe eos (ſi fieri poſſet) ab hoc חרם anathemate liberaret, ἀνάθεμα fieri optabat, Rom. IX. 3.

§. XXIII.

Quemadmodum autem hæc vaticiniorum divinorum veritatem extra omnem dubitationis aleam ponunt, tum verò Doctrinam Evangelii, cauſámque Servatoris à Judæis ſpreti, at tremendo illo & in hunc diem viſibili judicio πανωλεθρίας, vindicati, omnibus modis aſſerit, & denique alios admonet ne in eundem lapidem impingant, in quem illi

irru-

irruentes confracti sunt, & qui in eos cadens illos comminuit, *Matth.* XXI. 44. ita, cùm Sacri Vates, qui horrendum illud excidium cecinerunt, indubiam simul spem restitutionis populi in hanc terram lætissimæque rerum καταςροφῆς fecerint, vel hinc ultrò patet, quàm facilè hæc caussis secundis, ad id à Deo dispositis, adimpleri queat: *Quando iterum habitabunt Hierosolymis &* חרם *ANATHEMA non amplius supererit.* Zach. XIV. 11.

TANTUM.

THESES.

I.

Societas ex meris Atheis constans beata esse non potest, etiam salvo principio; quicquid statum nostrum perfectiorem reddit illud agendum est.

II.

Nemo agit liberè nisi agat ex rationibus sufficientibus.

III.

Quicunque facultate examinandi veritatem pollet, de divinâ S. S. origine convinci potest etiam absque testimonio Ecclesiæ.

IV.

Mysteria Secundi ordinis, necessarió in religione revelata requiruntur.

V.

Si quædam in S. S. reperiantur, quæ nobis parum utilitatis affere videntur, inde concludendum non est, quòd S. Codex inutilia contineat.

VI.

Qui Mosen impostoribus & pseudopoliticis annumerant, vehementer errant.

VII.

Columna nubis & ignis in deserto planè extraordinarium fuit phænomenon, ex nulla causâ physicâ explicandum.

VIII.

Bileamus non magus aut hariolus fuit, sed verus propheta, licet impius.

IX.

Probabile est Aaronem vitulum aureum fabricantem Ægyptiorum idololatriam imitatum fuisse.

X.

Licet de restitutione Judæorum vix dubitari queat;

atta-

attamen Sententia de novo Templo ædificando, in quo pristinus cultus denuo observandus sit, minus est conveniens.

XI.

Tristitia ob peccata nihil meritis Christi derogat.

XII.

Deus legem naturæ abrogare & contradictoria facere, non potest.

XIII.

Sacramenta validum præbent argumentum historiæ Evangelicæ.

XIV.

Uti in tota Doctrina rationalis cultus, ita & in Sacramentis nihil admitti debet, quod cum principiis rationis pugnet.

XV.

Hinc ultrò tam omnipræsentia corporis Christi, quàm præsentia ejusdem in S. Cœna corruit.